ILLVSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCLXXXIII. ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XVI. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. AVGVSTVS WEICHERT.

LECTIONUM VENUSINARUM

PARTICULA II.

GRIMAE
EX OFFICINA REIMERIA.
1833.

§. 1.

Vetus est et ad nostram usque memoriam multis hominum eruditorum sermonibus percelebrata opinio, qua Q. Horatius Flaccus perhibetur fuisse infenso inimicoque Jurisconsultis animo, eosque, quotiescumque tempus ferret ac locus, irrisisse et levius gravius perstrinxisse. Mirum sane dictu! Quamquam ego minime infitior, etiam ab Horatio rabulas indoctos inurbanosque, praecones actionum, cantores formularum, legulejos, qui verba litterarumque tendiculas aucuparentur, pariter despicatui habitos esse atque ab optimis quibusque civibus, ut patet ex Ciceronis de Oratore Libro I. c. 55. §. 236. et Quintiliani Inst. Or. Libr. XII. c. 1. §. 25. cl. 3. §. 11.; tamen sine ulla dubitatione affirmo, eum poetam, qui nusquam non in carminibus suis acerrimum se aequi justique defensorem et verae virtutis, quae in justitia continetur, custodem rigidumque satellitem (v. Libr. I. Epist. 1. v. 17.) gerat et non tam hominibus quam vitiis infestum ostendat, non potuisse insita et innata quadam cupiditate esse irrisorem, nedum osorem eorum, qui gravissimam sanctissimamque juris disciplinam cum laude ac dignitate profiterentur. Nihilo minus vel nostra aetate exstitere Viri Docti, qui Horatium eo crimine arguerent eique vehementer succenserent. Conferas quae disseruit *Chr. Ludovicus Neuber* in libro: *Die juristischen Classiker, ein Beitrag z. civilistischen Biographie.* (Berlin 1806.) P. I. p. 79. N. *h.* Inter illos autem prae caeteris videtur commemorandus esse vir magnae auctoritatis ac doctrinae, *Everardus Otto*, qui in *P. Alfeno Varo ab injuriis veterum et recentiorum liberato Cap.* II. §. 4. (v. *Thesaur. Jur. Rom. Vol.* V. *Traj. ad Rhen.* 1735.) p. 1640. stomachosius scripsit, Horatium, mordacis hominem linguae, cum alios vel amicissimos aequalium suorum libero calamo defricare ausum esse, tum inprimis, per legum inperitiam, in Ictos sui temporis iniquiorem fuisse in tantum, ut illi actionem de famosis libellis ei minitarentur. Quae quam vana sint, ad demonstrandum non erit difficile. In Ottonis sententiam *Jo. Georg. Estor*

in Praefatione *L. A. Hambergeri Dissertationibus Juris* praefixa (Francof. et Lips. 1745.) p. V. sq. ita transiit, ut istam Horatii in Ictos iniquitatem non tam ex inscitia juris ac legum repetendam censeret, quam ex interiore ejus cum Augusto necessitudine, quippe a quo jussus fuisset lacessere Ictos, illius contra reipublicae libertatem machinationum adversarios pertinacissimos. Qua abjectissimi ministerii criminatione haud scio an quidquam foedius potuerit excogitari dicique injustius de Poeta, qui ex castris Bruti et Cassii campoque Philippensi Romam redux in istum Triumvirum, armis depositis, pugnacem ac bellatorium Satirae stylum stringeret ac summa cum libertate administris illius familiaribusque perpetua stigmata imponeret.

Quapropter non alienum fuerit, hac scribendi occasione sic uti, ut locos, in quibus Horatius vulgo existimatur Ictos vel tectius pupugisse vel petulantius insultasse, denuo cum cura examinemus et videamus, possitne ille ab malevolae contra homines bene de civitate merentes iniquitatis crimine pariter ac turpissimae labe adulationis liberari.

§. 2.

Ac primum hac in caussa illud, fateor, valde mirum me habet, quod Duumviri illi gravissimi, Otto et Estor, Poetae Venusino, duo Ictos adulterii suspicione famosos obiter vellicanti, succensuerunt eumque ideo injuriarum reum fecerunt. Non hercle vituperandus erat eo nomine Poeta, sed laudandus! Scilicet alma Themis non talia linquit inulta, ut canit Ovidius Metamorph. Libr. VII. v. 762. Magnam tamen apud Ictos nostrae aetatis gratiam me initurum esse spero, si accurata locorum Horatianorum enarratione docuero, istos homines, quibus contra quam aequum est putatur adulterii infamia adspersa esse, injuria videri ad hunc usque diem in Jurisconsultorum numerum relatos esse. Id igitur agamus.

Horatius in Satira Libri I. secunda, quae fere tota versatur in notanda aequalium perversitate, prae caeteris incestos amores et illorum, qui matronas venantur, pericula adversosque casus expositurus pergit v. 37.

Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechos non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas
Atque haec rara cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore numos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeterent ferro. „Jure," omnes: Galba negabat. 1)

---

1) Acron et Porphyrion ad h. l. v. 37. *„Urbane abutitur Ennianis versibus. Ille enim ait:*
„Audire est operae pretium, procedere recte
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis."
Quo versu bene defenditur lectio *moechos* pro *moechis*, quam injuria revocavit Fea seq. Kirchnero.

Quae fuerit apud Romanos poena adulterorum ante legem Juliam, non satis certum est, fatente Heineccio Antiq. Jurispr. Rom. Libr. IV. Tit. 18. §. 51. Et sicut apud Athenienses marito licuit sine fraude sua adulterum *ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα* suo arbitratu punire, ut docuerunt Meierus et Schoemannus in libr.: *Der Attische Procefs.* (*Zelle* 1829.) Libr. III. c. 1. p. 327 sqq.; ita etiam Romae antiquitus usu obtinuisse, colligi licet ex Gellii N. A. Libro X. c. 23. cl. Lipsii Excurs. ad Taciti Ann. Libr. IV. c. 42. Apud Romanos quoque *ὀρχοτομίαν* in adulterorum poenis usurpatam esse sunt qui probatum eant ex Plauti Curcul. Act. I. Sc. 1. v. 27 sqq.

Ego item volo.
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis;

ubi apertum est, Poetam Sarsinatem v. *intestabilis* ambiguo significatu usum esse. Gemina *ἀμφιβολία* est in Priap. Carm. XIV. v. 7. „*Magnis testibus illa res agetur.*" Itaque etiam Horatius antiquitatis fidem secutus ait, non numquam accidisse, ut, qui in adulterio deprensus esset, intestabilis redderetur. Hac atroci poena commemorata, subjicit: jure dicebant omnes id factum videri, sed Galba negabat. Ridiculum in eo est, quod Galba, ipse cum moechus haberetur, adulterorum patronum se gessit.

Hunc autem Galbam, quem Horatius velut aliud agens hic carpit, dicunt Scholiastae fuisse Jurisconsultum. Nam Acron ad h. l. „*Galba*, inquit, *jurisperitus et ipse sectator matronarum, qui dicebat, non jure factum, ut testes amputarentur, quia primo adulterii poena pecuniaria erat.*" Et Porphyrion: „*Amare Servium Galbam perstrinxit, quasi contra manifestum jus pro adulteris responderet, quia et ipse adulter esset.*" Ex his conflata est adnotatio Scholiastae Cruq.: „*Notat hic amare*

Cum his, quae subeunda sint moecho, periculis Philodemi Epigramma VIII. in Anth. Gr. T. II. p. 72. confert Jacobsius in Animadv. Vol. II. P. 1. p. 217. itemque Xenarchi Fragm. ap. Athenaeum Libr. XIII. p. 569. C. (c. 24. p. 54 sq. Vol. V. Schw.) — V. 42. *caesus*, sc. *est*, quod passim omitti docuit Heindorfius: cui add. Schneideri Gr. Lat. I. 1. p. 163. De flagellatione, privata moechorum poena, copiose egit Bynkershoek Observatt. Jur. Rom. Libr. V. c. 7. p. 27. ed. Heinecc. — V. 43. *pro corpore,* i. e. pro obscena corporis parte, ut Scholiastae explicant. Sic ap. Phaedrum Libr. III. Fab. 9. v. 3. quidam in Eunucho *damnum insectatus est amissi corporis.* Numos igitur alius dedit, ne castraretur; alium perminxerunt i. e. stupraverunt *calones,* de quibus vid. Herzog ad Jul. Caes. d. B. G. Libr. VI. c. 46. — V. 45. secutus sum Bentlejum, qui conjecturam C. Barthii Advers. Libr. 38. c. 6. *demeterent*, sc. calones, Codd. aliq. auctoritate communivit, eamque in suis quoque repertam Codicibus reposuit Fea. Totius orationis contextus hanc rationem suadet. Qui vulg. *demeteret* retinent, necessario corrigere debebant *quidam* pro *cuidam*, alioqui nihil habes, quo illud verbum referas. Sed Codd. lectionem *cuidam* tectam sartamque praestant vv. *ille — hic*, *hic — hunc*, sc. moechum. Sententia loci est: quin etiam illud accidit, ut calones adulterum deprensum non tantum permingerent, sed etiam *cuidam* sc. moecho demeterent ferro testiculos. Quodsi legitur *quidam*, intelligendus est is, qui poenas exigit: id quod minus placet.

Servium Galbam jurisperitum, qui quasi contra manifestum jus (sic leg. pro *scelus*) *pro adulteris responderet, non jure factum esse, ut testes amputarentur, quia primo adulterii poena pecuniaria erat. Sed erat hic Galba insignis moechus.*" Scholiastis fidem adjunxerunt cum alii, tum inprimis Otto et Estor, quorum tamen neuter istum hominem propius nosset. Lambinus, licet alius testimonio scriptoris destitutus, eum praepropere appellat Jurisconsultum Augusti temporibus clarum. In qua sententia plerique Interpretum Horatii acquieverunt. Heindorfius, qui de hoc Galba caeteris accuratius quaesivit, subdubitabat, essetne hic intelligendus nepos Servii Sulpicii Galbae, Consulis a. U. C. 610. et oratoris clarissimi, de quo Cicero in Brut. c. 21. §. 6. ibiq. Wetzel. Heindorfii conjecturam haud ineptam dicit Bothius in Annotatt. ad Horatii Edit. Feae T. II. p. 7. Oratoris filius C. Galba, Jugurthinae conjurationis invidia a. U. C. 644. oppressus, et ipse eloquentia probatus est, auctore Cicerone in Brut. c. 33. §. 7. Et hujus filius Julii Caesaris in Gallia legatus fuit, magnaque apud eum gratia floruit: vid. Jul. Caesar. d. B. G. Libr. III. c. 1. et Dio Cass. Libr. XXXIX. c. 5. Is licet per aetatem apud Horatium intelligi possit, tamen aliis de caussis rejiciendus est. Postquam enim jam a. U. C. 706. in petitione consulatus repulsam tulerat, iterum a. U. C. 709., quo anno Julius Caesar consules in quinquennium designaret, se praeteritum graviter dolens contra Dictatorem illum, quamvis multorum necessitudine officiorum secum conjunctum, conspiravit cum Cassio et Bruto, teste Suetonio in Galb. c. 3. Idem a Cicerone Philipp. XII. c. 16. appellatur fortissimus et constantissimus civis. Cui laudi ego non multum tribuerim: constat enim, quam liberalis fuerit Tullius in laudandis Julii Caesaris percussoribus. Ejusdem Galbae exstat epistola, d. XVI. Kal. Maj. a. U. C. 711. scripta, inter Ciceronianas ad Divers. Libr. X. 30., in qua proelium Mutinense, cui legatus A. Hirtii Cos. interfuerat, exponit. Ab hoc inde tempore nusquam, nisi mea me fallit memoria, ejus apud scriptores mentionem factam reperimus. Verisimile est, eum cum caeteris Julii Caesaris percussoribus lege Pedia damnatum, Bruti et Cassii castra secutum esse. Vixeritne adhuc anno U. C. 714., quo haec Satira scripta est, ego neque affirmare nec negare ausim: ex v. *negabat* id modo colligi potest, rem a Poeta respici jam pridem factam. Illud autem omnium certissimum videtur, eum, utpote partis Caesarianae adversarium, Roma tum abfuisse. Atqui omne perit loci acumen, nisi Galbam, istum adulterorum patronum, tum viventem adhuc et Romae praesentem fuisse statuimus. Accedit, quod oratoris nepotem militia quidem bonum, sed nusquam aut caussarum actorem fuisse aut de jure respondisse memoriae proditum legimus. Denique, Scholiastae si intellectum hic voluissent Galbam, legatum Julii Caesaris ejusque percussorem, utique mirum foret, quod de ejus stipendiis, quibus unice innotuit, et conjurationis societate plane siluissent. Haec sunt quibus impediar, quominus Heindorfio accedam suspicanti, oratoris nepotem hic ab Horatio irrisione traductum esse.

Verum tamen, antequam in indagando Galba Horatiano progredior, dispiciendum erit, num hic necessario de Jurisconsulto cogitandum sit? Ego autem, rationibus omnibus accurate subductis, in eam deductus sum sententiam, ut, quae Scho-

liastae de Galba illius temporis Jurisconsulto quodam referant, ex vano hausta esse dicam et conficta ex verbis Horatii: id quod scimus haud raro factum esse, ut adnotatiunculae quid scripsisse viderentur. In fraudem eos inductos esse suspicor v. „*jure*," sc. factum videri. Quam formulam cum meminissent sollemnem esse in quaestionibus ac judiciis, Galbam istum, hominem aliunde sibi non cognitum, temere fecerunt jurisperitum. Quae quidem mea suspicio egregie confirmatur errore, in quem Scholiastae videntur inscii incurrisse. Apertum est, eos Horatii verba cepisse de adulterii cognitione ad judices relata. Atqui ea demum per legem Juliam de adulteriis praescripta est a. U. C. 737. Res ipsa minime latebat illos Commentatores. Nam Scholiastes Cruq. ad Libr. II. Sat. 7. v. 61. „*Lex fuit apud Athenienses,* inquit, *ut adulterum cum adultera deprehensum marito liceret occidere. Haec lex abolita est lege Julia, quae jussit cognitionem adulterii ad judices referri et ita adulterium puniri.*" Videmus igitur, alium ex alio natum esse errorem eumque graviorem, cujus hic Scholiastas manifestos tenemus. Quae cum ita sint, non metuo, ne audaculus videar, cum nego, Galbam istum fuisse illius temporis Ictum, eumque de *ὀρχοτομίᾳ* alicujus adulteri aliquando consultum ita respondisse, ut negaret, jure factam videri illam, et hoc responso in vulgus elato, quod simul pro se dedisse videretur, Horatio ridendi materiam praebuisse.

Itaque misso Galba, commenticio Icto, alium necesse est quaeramus hujus nominis hominem, si non ulla alia re, certe moribus vitaeque genere tam insignem, ut vulgo notus esset Horatioque videretur dignus irrisione. Neque moechus hoc loco quaeritur, sed homo animi levitate et vitae morumque petulantia conspicuus. Jam pervestigantibus nobis antiquitatis monumenta occurrit Galba quidam, qui, sive aetatem ejus, sive ingenium, sive mores vitaeque rationem spectamus, inprimis huic scenae aptus existimandus est. Dico istum Galbam, jam ab Torrentio commemoratum, de quo Plutarchus in Erotic. Vol. IX. p. 45. R. haec retulit: *Πολλοὶ — ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίρας, ἀλλὰ καὶ γαμετὰς, προαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος — Γάλβας εἱςία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν, ὡς δὴ καθεύδων. Ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου, διαβλέψας· „Κακόδαιμον," εἶπεν, „οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω;" τοῦτο μὲν οὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Γάλβας γελωτοποιός.* [2]) Jam vero hic Galba, qui Maecenatem convivio exceperat, dubium mihi non est quin sit ille Caesaris Octaviani scurra, cujus mentionem facit Juvenalis Sat. V. v. 5 sq.:

---

2) Verbum *προαγωγεύειν* proprium de lenocinio; inde *προαγωγεία*, de qua vide Wachsmuthii *Hellenisch. Alterthumskunde* II. 1. p. 272. Pro vulg. *Κάλβας*, quod Reiskius recte negat Romanum esse, dedi *Γάλβας*, licet illud retinuerit etiam Wyttenbachius. Galbae istius verba: *οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω*, in memoriam revocant vetus illud proverbium: *non omnibus dormio*, quod natum a Cipio quodam, qui *Pararhencon* dictus est, quod simularet dormientem, quo impunitius uxor ejus moecharetur, ut auctor est Festus p. 182. ibique Intpp. p. 533. ed. Lindem. Ejus meminerat Lucilius, et in rem suam illud convertit Cicero ad Divers. Libr. VII. Ep. 24. et ad Attic. Libr. XIII. Ep. 49.

Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:

ubi Schurzfleischius recte monuit, Juvenalem non de sui temporis scurris loqui, sed de eis, qui sub Caesare Augusto vixissent.[3]) Ejusmodi autem scurras ab initio fuisse infimi ordinis cives, docuit Jo. Fr. Gronovius de Pecun. Vet. Libr. IV. c. 9. p. 700 sq. Erant igitur genere Romani, ita ut non sit quod quemquam offendat Romanum Galbae nomen. Ex hoc hominum genere Sarmentus erat Maecenatis et Messius Cicirrhus Cocceji scurra, quorum mores pulchre descripsit Horatius Libr. I. Sat. 5. v. 51 sq. Isti homines quamvis contemnendi ob humile supparasitandi negotium, tamen tanto conspectiores esse et solebant et debebant, quanto potentior in Urbe erat patronus, quem assectarentur, perpetuo comitarentur et dictis factisque oblectarent.[4]) Praeterea sui videntur fuisse juris et domum et uxorem et servos habuisse. Et ut quisque urbanitate et dicacitate erat clarissimus, ita a civitatis principibus maxime honoratus est ac celebratus. Illa autem laude Galbam apud aequales floruisse, ostendit Martialis Libr. X. Epigramma 101. in Capitolinum quemdam:

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Caesare Galba vetus;

---

3) Memorabilis est Codd. aliq. Juvenalis lectio *Gabba* pro *Galba*, praesertim cum ap. Martialem eodem modo illud nomen depravatum sit. Hujus corruptelae vetustatem quodammodo confirmat Vetus Scholiastes Juvenalis p. 155. „*Sarmentus et Gabba parasiti Caesaris fuerunt. Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit.*“ Schurzfleischius ex suo Codice defendit *Gabba*, et Cramerus observat, apud Plutarchum quoque l. c. in nonnullis legi *Κάββας*. Dolendum est, quod ad hunc Plutarchi locum non venerit emendatrix Wyttenbachii manus, quam exspectandam esse scripsit Spaldingius ad Quintiliani J. Or. Libr. VI. c. 3. §. 27. Haud immerito Wernsdorfius in P. L. M. Vol. VI. P. 2. p. 419 sq. nomen illud in Scholio ad Juvenalem vitiatum esse judicat. Mihi illud hebraicae originis videtur esse.

4) De nomine *scurrae* Festus p. 491. D. „*Scurrae vocabulum Verrius ineptissime aut ex Graeco tractum ait, quod est σκυῤῥάζειν, aut a sequendo, cui magis adsentitur, quod et tenuioris fortunae homines et ceteri alioqui, qui honoris gratia prosequerentur quempiam, non antecedere, sed sequi sint soliti.*“ Pro *σκυῤῥάζειν* conjecit Scaliger *συγκυρεῖν*, quod jure improbat Lobeckius in Aglaopham. Libr. III. c. 6. §. 2. Tom. II. p. 1317 sqq. et verbum requiri monet, cui subjecta sit potestas currendi et festinandi, cujus similia exhibeat Hesychius s. *ἀποσκυρμάζειν*, *ἀποσκιρτᾶν* et alia, quae Küsterus s. *ἀπεγκειρίασι* et Schneiderus s. *σκιρτάω* contulissent. Lindemannus in Corp. Grammat. Latin. Tom. II. P. 1. p. 240. apud Festum legendum conjecit *σκιρτάζειν*. Ex Graeca hac originatione nomen *scurrae* significare posse ait Lobeckius praecursorem et ambactum: de quo Gallico vocabulo diligenter exposuit Herzog ad Jul. Caes. d. B. G. Libr. VI. c. 15. Alterum derivationem a *sequendo* idem Lobeckius rejicit, primum quia *scurra* nihil habeat similitudinis cum aliis derivatis, ut *bubsequa*, *pedissequus*, *adsecula* etc., deinde quod *scurra* a Graecis redditum sit *χοιρίας* denotantibus *spurcidicum*: v. Salmasius ad Tertullian. d. Pallio p. 334 sq. Reimarus ad Dion. Cass. Libr. LXXIII. c. 6. Vol. VI. p. 757. Strz. et Intpp. ad Sueton. Tiber. c. 61. Lobeckius igitur praestare significat, si quis *scurra* pro *excurra* dictum esse credat, ut *scriba*, *concoena*, *collega*, alia. Scurrae autem nomine non tantum joculatores, sed omnes dictos arbitratur, qui agili et industria opera stipatorum et asseclarum vices implerent, qui homines futiles essent et apparendo et parasitando ventrem pascerent.

Qui Capitolinum pariter Galbamque jocantes
Audierit; dicet, rustice Galba, tace!

Martialis quo magis Capitolino, homini suae aetatis urbano, blandiretur, leviter hic obtrectavit Galbae jocis salibusque, quos alibi, mutato epigrammatis consilio, laudat. Sic in Caecilium quemdam, hominem illepidissimum, sua tamen dicacitate superbientem, scripsit Libr. I. Epigr. 42.

Urbanus tibi, Caecili, videris?
Non es, crede mihi. Quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis; quod otiosae
Vendit qui madidum cicer coronae;
Quod custos dominusque viperarum;
Quod viles pueri salariorum;
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis coquus popinis;
Quod non optimus Urbicus poeta;
Quod de Gadibus improbus magister;
Quod bucca est vetuli loquax cinaedi.
Quare desine jam tibi videri,
Quod soli tibi, Caecili, videris;
Qui Galbam salibus tuis et ipsum
Possis vincere Sextium Caballum.
Non cuicumque datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed caballus. [5])

---

5) Martialis Caecilium dicit quemvis alium esse quam hominem urbanum et lepidum. V. 2. *Non es*, inquit, *urbanus: quid ergo*, i. e. qualis, ut ap. Graecos τί pro ὁποῖος: v. Stallbaum. ad Platonis Phileb. p. 53. et Heindorf. ad Horat. Libr. I. Sat. 6. v. 55. — *Verna es*, i. e. servulus domi ex ancilla natus. Vernarum procacitas et contumeliosa urbanitas describitur ab Seneca de Constant. Sap. c. 11. — V. 3. *Ambulator* est h. l., qui merces vilissimas divendit forum et Circum obambulans sub vesperam: vid. Horatius Libr. I. Sat. 6. v. 113. Inde Petronius Satyr. c. 12. „*Veniebamus in forum deficiente jam die, in quo notavimus frequentiam rerum venalium, non quidem pretiosarum, sed tamen, quarum fidem male ambulantem obscuritas temporis facillime tegeret.*" Ambulator cum *Transtiberinus* dicatur, cogitabimus de Judaeis trans Tiberim habitantibus, qui sordidissimo viventes mercatu vitreis fragmentis ostiatim circumeuntes permutabant *sulphurata*, sc. ligna, *des allumettes.* — *Fracta vitrea*, sc. pocula, pro rebus vilibus et frivolis etiam ap. Petronium Satyr. c. 10. ibiq. Intpp. p. 56. B. Geminus huic loco est alius ap. Martialem Libr. X. Ep. 3. v. 1. sqq.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et foeda linguae probra circulatricis,
Quae sulfurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,

Ex utroque Martialis epigrammate perspicuum fit, dicacitatis, quâ Galba, iste *γελω-*

Poeta quidam clancularius spargit,
Et vult videri nostra:

ubi *Vatinia fracta* sc. pocula quae sint, docet Lipsius ad Tacit. An. XV. c. 34. — V. 5. erudite explicat Fea ad Horatii Epist. ad Pisones v. 249. *Nec, si quid fricti ciceris probat aut nucis emptor,* i. e. plebecula, quae emit cicer *madidum*, i. e. oleo vel adipe suillo frictum et adhuc tepidum, ut Martial. Libr. I. Ep. 104. v. 10. *Asse cicer tepidum constat et asse Venus.* Igitur Martialis Caecilium assimilat hominibus ejusmodi res cauponantibus, garrulis praestigiatoribus v. 7. et servis salsamenta in tabernis vendentibus v. 8. itemque coquo v. 9., qui clamitando raucus fumantia tomacla ex tepidis popinis circumfert: de v. *circumferre* videsis Intpp. ad Petron. Sat. c. 33. p. 204. B. — V. 11. Tu, Caecili, inquit Martialis, es id, quod Urbicus, non optimus poeta. Sunt qui eundem Urbicum poetam inveniant apud Juvenalem Sat. VI. v. 71.

Urbicus exodio risum movet Atellanae
Gestibus Autonoes;

unde colligunt, eum fabularum Atellanarum scriptorem illius aetatis fuisse, aliunde non cognitum. Alii contra malunt intelligi exodiarium, qui fabulas Atellanas saltat et gesticulatione exprimit. Et apud Martialem h. l. Lemaire in Edit. Paris. 1825. T. I. p. 86. cogitat de histrionum quodam genere et poetarum, qui versus pessimos popello decantent in triviis atque ita captent vulgi aures quaestus gratia. Quibus cum saepe excidere soleant illepide dicta, Urbicum, unum ex illis, *non optimum poetam* appellari putat. Id sane evidens est, Urbici nomen esse proprium poetae cujusdam non ita clari, quem Martialis in transcursu carpat, et idem esse videtur, qui ab Juvenale memoratur, quem verisimile est contra morem suarum fabularum exodia saltasse et eo nomine apud aequales in contemptu fuisse: vid. Ruperti ad Juvenal. Vol. II. p. 261. ed. 2. Haec interpretatio haud dubie praeferenda est ei, quam iniit Santenius ad Terentianum M. Cap. IV. p. 195., qui v. *urbicus* appellative accipit et deteriore sensu dictum statuit quam v. *urbanus* et ideo versum Martialis ita distinguit:

Quod, non optimus, urbicus poeta:

quod quam durum sit, nemo non intelligit, et omne etiam perit loci acumen. — V. 12. docte illustrat Boettigerus in libr.: *Kunst-Mythologie* Tom. I. p. 413. Ramirez de Prado maluit legi *improbis* ob Juvenal. Sat. II. v. 162. et Martial. Libr. V. Ep. 79. Sine idonea caussa! — V. 17. Sestium Caballum scurram fuisse nobilitate et fama Galbae parem, dubitari non potest: sed qua aetate vixerit, ignoratur. Fuerunt qui eum sub Vespasiano, Tito et Domitiano scurram nobilem et gratiosum fuisse dicerent sine ullius scriptoris testimonio, ut jam admonuit Raderus. Is maluit intelligi *Sestium Gallum*, hominem prodigum ac libidinosum ab Augusto ignominia notatum, cui seni Tiberius coenam condixit ea lege, ne quid ex consuetudine immutaret aut demeret, ut nudis puellis ministrantibus coenaretur, teste Suetonio c. 42. Huic *Caballi* cognomen impositum esse suspicatur a dicacioribus ob mores equi potius quam hominis similes. At istum Sestium frequenti jocorum et dicteriorum usu clarum fuisse adeoque, id quod Martialis verba ostendunt, Galbam ea laude superasse, nusquam traditum legimus. Quare Wernsdorfius in P. L. M. Vol. VI. P. 2. p. 419. longe probabiliori ductus conjectura statuit, intelligendum esse illum Sestium, cujus mentionem fecerit Cicero ad Attic. VII. ep. 17. et ad Divers. VI. ep. 32. Quamquam ibi a Cicerone *dicta Sestiana* cum contemptu quodam memorantur, nihil tamen obstat, quo minus istum Sestium salibus facetiisque praecellentem fuisse putemus, cum constet, Ciceronem salinarum suarum possessionem quibusvis interdictis defendisse. Fuit igitur ille antiquior quam Galba, cui etiam a Martiale ut celebritate, ita aetate praeponi videtur. Nomen *Caballi*, ab aequalibus procul dubio ei jam impositum, habet utique aliquid invidiae et contemptionis, cujus rationem et caussam expiscari non licet. Sed festive illud in rem suam convertit Martialis dicens: qui ludit stolida procacitate, qua tu, Caecili, is non est Sestius, clarus ille scurra, sed *caballus*, i. e. equus vilis et contemptus, ut ap. Lucilium in Non. 86, 14. *Succussatoris, taetri tardique caballi.*

τοποιὸς excelluerit, laudem ac memoriam ad posteros quoque esse propagatam. Atque ejus jocose et ridicule dicta dubium esse nequit quin ad posteritatis notitiam pervenerint, sive ab ipso evulgata singulari volumine, sive, quod verisimilius videtur, ab alio quodam collecta homine talium rerum studioso. Scimus enim fuisse, qui colligendis edendisque ejusmodi dictis operam darent. Ut silentio praetermittam hic A. Cascelli Icti *Benedictorum* librum, qui responsa faceta et urbana complexus esse videtur Bachio in Histor. Jurispr. R. Libr. II. Cap. 2. §. 49. p. 266., inprimis huc pertinent centum et quinquaginta libri *Ineptiarum* sive *Jocorum*, quos Cilnius Melissus, Maecenatis libertus, sexagesimum aetatis annum agens, componere instituisse traditur ab Suetonio de Illustr. Gr. c. 21. Quid, quaeso, magis est credibile, quam Melissum in illo opere etiam Galbae, aequalis sui, dicteriis et jocis locum dedisse? Atque inde haud dubie hausit Quintilianus, qui Inst. Or. Libr. VI. c. 3. de ridiculis et facete dictis disputans etiam nonnulla Galbae cujusdam dicta profert eaque dicit §. 27. maximam partem *lasciva* esse et *hilaria*. Tametsi Quintilianus Galbam illum neque scurram appellat neque alia ratione et nota designat, qua iste Caesaris Octaviani scurra agnoscatur; tamen, ut jam Spaldingius ostendit, plura sunt, quae de illo ut cogitemus nobis suadeant. Glandorpius in Onomast. p. 819. mirifico errore lapsus intellectum voluit apud Quintilianum Galbam Imperatoris avum, Julii Caesaris in Gallia legati filium: v. Suetonius in Galba c. 3. Et Burmannus ad Quintiliani l. c. Vol. I. p. 547. conjectura admodum improbabili huc refert Galbam Imperatoris patrem. Is quamvis modicae in dicendo facultatis caussas industrie quidem actitavit, sed nulla dicacitatis et facetiarum laude nobilis fuit. In eum, cujus corpus breve et gibba deforme esset, Romae circumferebatur M. Lollii vox: „*Ingenium Galbae male habitat,*" eique caussam agenti et frequenter dicenti: „*Corrige me, si quid reprehendis,*" Augustus respondisse fertur: „*Ego te monere possum, corrigere non possum,*" ut narrat Macrobius Sat. Libr. II. c. 4. et 6. Caeterum quum Burmannus apud Quintilianum pro vulg. *L. Galba*, quo praenomine neminem ex gente Sulpicia sibi cognitum esse ait, corrigit *C. Galba* eumque Consulem anni U. C. 775. fuisse dicit, magnopere fallitur. Nam illo anno non pater, sed frater Galbae Imperatoris consulatu functus est, ut admonuit Pighius Annal. Tom. III. p. 552. Et Burmannus debebat obsequi plurimorum testimonio Codicum, non *Lucii* praenomen offerentium, sed *Auli*, quod omni jure Spaldingius reposuit. Jam si Burmannus contendit, apud Quintilianum quo minus de Galba, Caesaris Octaviani scurra cogitetur, obstare praenomina *Lucii* sive *Auli*, utquae de honestiore quodam Galba hic agi indicent, non meminerat, quae de scurris eorumque conditione disseruit J. Fr. Gronovius. Neque improbabile cuiquam videbitur, unum aliquem ex antiqua et nobili gente Sulpicia, ad quam istum scurram pertinuisse arbitror, per bella civilia, quibus haud paucae eaeque generosissimae gentes ac familiae vel prorsus exstirpatae sunt vel ad egestatem redactae, in tantam detrudi potuisse miseriam, ut parasiticas potentiorum mensas ambire et aliena quadra vivere cogeretur. Sine caussa Burmannus etiam in eo haesit, quod Caesaris Octaviani scurra ab Juvenale *vilis* dicatur. Nam Poeta Aquinas, declaraturus Satira quinta, quam misera sit parasitorum

sors et quam indigna homine ingenuo, non poterat quin Galbam, aulae Caesarianae mancipium, appellaret vilem. Igitur non tam fortunae ejus, quam animus et mores notantur. Non magis cum Spaldingio repetierim argumentum de humiliore vitae conditione ex ejus dicto apud Quintilianum, qui §. 64. „Ex contrario, inquit, non una species. Neque enim eodem modo dixit Augustus praefecto, quem cum ignominia mittebat, subinde interponenti precibus, *Quid respondebo patri meo? Dic, me tibi displicuisse:* quo Galba penulam roganti, *Non possum commodare, domi maneo;* cum coenaculum ejus perplueret." Cui adde §. 66. „Et partitione Galba, cum penulam roganti respondit, *Non pluit, non opus est tibi: si pluit, ipse utar.*" 6) Quis ex joco et ridicule dicto metiatur hominis alicujus fortunas et vitae conditionem? Non igitur mirabimur, hujus Galbae convivam fuisse Maecenatem. Ac si cui alienum videatur, a Quintiliano proferri scurrae alicujus ridicule dicta, eum satis redargui vicina *Junii Bassi* et *Sarmenti* mentione §. 58., admonuit jam Spaldingius ad §. 27., falso tamen opinatus, illum Sarmentum esse *τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον,* ut copiosius docui in Comment. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 7. N. 12. p. 226. Denique cum Quintilianus, si exceperis Galbam oratorem, quem semel allegat Libr. II. c. 15. § 8., aliquem Galbam nusquam alibi nisi in hac de jocis facetiisque disputatione, neque aliam ob caussam quam propter dicacitatem commemoraverit; haud scio an nihil praesidii inde accedat sententiae eorum, qui *Aulum Galbam* Quintiliani neminem alium esse mecum statuant, quam qui ab Juvenale et Martiale dicatur Caesaris Augusti scurra et a Plutarcho tradatur fuisse uxoris suae leno.

Jam quum contendo, eumdem Aulum Galbam in Horatii loco, quo de agitur, irrisione traductum esse; erunt fortasse qui assensum suum paulisper cohibeant. Sed tamen, omnibus rerum momentis accurate exploratis perpensisque, id futurum esse speramus, ut multo plus acuminis ac salis in Horatiano loco inesse fateantur, si de famoso isto scurra quam de Jurisconsulto ignobili capiatur. Atque primum

---

6) Praeter allata A. Galbae ridicule et facete dicta Quintilianus l. c. commemorat VI. 3. 62. „Jungitur amphiboliae similitudo: ut A. Galba pilam negligenter petenti, *Sic*, inquit, *petis*, *tanquam Caesaris candidatus*. Nam illud *petis* ambiguum est, securitas similis." In quo dicto *Caesaris* nomine non Julium Caesarem, sed Augustum designari, recte admonuit Spaldingius. Candidati Caesaris erant ii magistratuum petitores, quos Caesar commendabat populo. Nomen hoc utique inventum sub Julio Caesare, auctore Suetonio c. 41., cum comitia cum populo partitus esset. Eum aemulatus etiam Augustus suos candidatos civiliori tantum modo commendabat populo, ut refert Suetonius c. 56. Hi candidati commendatione et gratia Caesaris Augusti confisi securius petebant honores et negligentius prensabant. Hinc Galbae dictum et ambiguitatem v. *petis* et similitudinem petentis pilam et ambientis magistratum subindicat. — §. 80. „Sic eluditur et ridiculum ridiculo: — mendacium quoque mendacio; ut Galba, dicente quodam, victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse: *Nihil*, inquit, *mirum*, *nam ibi tam longae nascuntur, ut iis piscatores pro restibus utantur.*" *Victoriatus,* sc. numus, victoria signatus et inde dictus, est denarii dimidium: vid. Wurm. de Ponder. Num. Mens. Rom. et Gr. Cap. II. §. 15. p. 21. — §. 90. „Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi et versati postera die appositi essent, *Festinemus, alii subcoenant*, inquit." Lusit Galba verbo *subcoenandi*, quod vereor ut recte explicet Gesnerus in Thesaur. *subtus coenare*, et jocum ab Antipodum descriptione ortum suspicetur!

aetas, qua Galba iste vixit, tempori, quo Satiram Libr. I. secundam scriptam esse diximus, apprime convenit. Ejusmodi enim hominibus Octavianum Triumvirum oblectatum esse scimus, non item Imperatorem Augustum et moribus severiorem et rerum prudenter administrandarum cura occupatiorem, quam qui scurrarum nugis vacare posset. Ergo tum Galba iste haud dubie summa florebat apud principes civitatis gratia et apud vulgum auctoritate, ideoque videbatur Horatio idoneus, cui palam illuderetur. Deinde responsum, quod is consultus de adulterorum poena dedisse fertur, adeo non abhorret ab ejus vita ac moribus, ut nemini magis conveniat. Fuit homo aulicus et gratiosus apud Octavianum Triumvirum, quem circa illud tempus adulteriorum infamia flagrasse auctor est Suetonius c. 69. Et in tanta, quanta tum erat, communi omnium corruptela nobilissimi quique hujuscemodi flagitiorum gratiam sibimetipsis faciebant et in aliis excusabant. Atque hanc erubescendam in omni propudiorum genere levitatem Horatius in illo carmine cum risu, ut solet, exagitat ejusque veluti testem nominat Galbam, Octaviani scurram, quem verisimillimum est uxoris suae lenocinio omnibus innotuisse. Et cum inducere vellet aliquem adulteris patrocinantem, quem, quaeso, poterat reperire rei ac loco aptiorem, quam istum Galbam, cujus in dictis quoque lasciviam quamdam propriam deprehendi notavit Quintilianus? Etsi nihil refert, rem veram Poeta narraverit an fictam; tamen totum istud adulterorum patrocinium, quo omnium risui exponitur iste homo, excogitatum esse suspicor, quo gravius pungeretur. Nec poterat Horatius, liberi honestique animi poeta, non contemnere homuncionem, qui totum se emancipaverat potentioribus et Maecenatis libidini uxoris suae pudicitiam substraverat, quippe

doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso,

ut utar verbis Juvenalis Sat. I. v. 57. Atque ea ipsa necessitudo, quae Maecenati cum Galba scurra intercedebat, conjecturae meae magnopere favet. Illum non dedecuit convivari apud Octaviani scurram; hujus autem erat in libidine Maecenatis uxorem dissuaviantis connivere. Horatius quidem Galbae irrisione simul Maecenatem tecte violabat, praesertim si statuimus, illud propudium in vulgus exiisse et percrebruisse. At quo tempore Poeta Venusinus Satiram secundam edidit, nullo dum officio aut beneficio conjunctus obstrictusque erat Maecenati. Quid, quod in hoc ipso carmine id maxime egit, ut dissolutam aulicorum vitam perstringeret, et sicut Maecenatem ficto Malchini nomine deridendum praebuit, ita aperte alios Octaviani amicos, ut v. 36. *Cupiennium* et v. 48. *Sallustium*, adulterii crimine infames, acerba irrisione traduxit, non quo matrimonii sanctitatem commendaret, sed ut oblique Octavianum, pari adspersum infamia, notaret.

Haec omnia si quis simpliciter ac sine cupiditate reputaverit, non dubito quin, ponderatis in utramque partem argumentis, in meam discessurus sit sententiam, existimantis ac paene pro certo affirmantis, Aulum Galbam, Caesaris Octaviani scurram, ingenio dictisque nobilem, at vitae morumque levitate famosum, ab Horatio perfaceta responsi de adulterorum poenis ab eo dati confictione irrisum esse, nequaquam hujus nominis Jurisconsultum, quem universa Romanorum antiquitas ignoret.

§. 3.

Horatius sub finem Satirae Libri I. secundae rationem et praecepta Socratis apud Xenophont. Memor. Libr. I. c. 3. §. 14. secutus aequalibus suis suadet, ut, si natura stimulante putent indulgendum esse libidini, in togatis potius peccent quam in matronis, quippe ex quarum amore plus laboris, quam voluptatis hauriatur et periculum rei et famae subeundum sit adultero. Nam, si vir rure recurrat, pergit v. 132.

Discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
Ne nummi pereant aut pyga aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel judice vincam: 7)

ubi ad v. 134. Acron: „*Satis urbane significat Fabium pro adultero judicaturum, si judex in hanc rem constituatur, qui harum rerum et sectator sit, tamen miserum esse deprehendi, et probe ait. Nam si istum, qui est adulter, interrogem de qualitate adulterii, respondebit, malum esse, et probari poterit, quod non expedit adulterare.*“ Porphyrion iisdem verbis: „*Satis urbane. Si, inquit, Fabius pro adultero judicaturus judex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit ipse sectator, malum esse deprehendi censebit.*“ Scholiastes Cruq.: „*etiamsi Fabius adulter judex sit, tamen non poterit negare, miserum esse deprehendi in adulterio. Satis urbane notat, Fabium Jurisconsultum aliquando in adulterio deprehensum fuisse.*“ Quamquam unus Scholiastes Cruquianus Fabium illum Jurisconsultum appellat, tamen Estor l. c. p. V. fidem ejus et testimonium sequitur et perquam moleste fert, sui ordinis hominem, quamvis obscurum atque ignobilem, in adulterii crimen ab Horatio vocatum esse et omnium irrisui expositum. Hunc Fabium aequalem Poetae fuisse et, quo tempore haec Satira composita est, viventem adhuc, res ipsa flagitat ut statuamus. Proinde cogitari nequit de Q. Fabio Labeone, qui Fabii Cunctatoris nepos et Consul a. U. C. 571., cum a Cicerone in Brut. c. 21. dicatur juris et litterarum et antiquitatis peritus,

---

7) Romae mulieres, quae venalem habebant pudicitiam, ut ab aliis distinguerentur, ignominiae caussa togam ferebant, non, ut matronae, stolam. Horatius Sat. I. v. 62. „*Quid interest in matrona, ancilla peccesne togata;*“ et v. 82. „*atque etiam melius persaepe togatae est.*“ Quare etiam matronae adulterii damnatae togam gestare cogebantur, quo impudicitiam profiterentur: hinc amare Martialis Libr. II. Epigr. 39. „*Coccina famosae donas et ianthina moechae. Vis dare, quae meruit munera? mitte togam!*“ de quo epigrammate conferatur Muretus in Scholiis ad Ciceronis Philipp. II., ubi orator M. Antonio meretriciam vitam exprobrans ait c. 18.: „*Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem togam reddidisti;*“ et paulo post: „*sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit; et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.*“ v. Mureti Opp. Vol. II. p. 986. R., cui adde Lipsii Excurs. ad Taciti Ann. Libr. II. c. 85. — Cum Horatii versu 132. accommodate Blomfieldus in Glossar. ad Aeschyli Prometh. v. 138. confert locum Apuleji Metam. Libr. IX. (p. 226. Elmenh.) Vol. I. p. 631. Oud. „*Interdum Philesietaerus cognito strepitu, raptim tunicas injectus, sed plane prae trepidatione pedibus intectis, procurrit cubiculo.*“ Adde Toupii Emendatt. in Suidam P. II. p. 303. Lips. — — V. 133. v. *pyga* nolim cum Heindorfio referre ad stuprationem per calones, de qua v. 44., sed potius ad ῥαφανίδωσιν, de qua videsis quae collegit Ruperti ad Juvenalis Sat. X. v. 317. Vol. II. p. 587.

inter Ictos recensetur a Bachio in Histor. Jurispr. Rom. Libr. II. c. 2. §. 25. p. 247. Alium igitur Fabium quaeramus necesse est. Jam vero ejusdem hominem nominis commemorat Poeta Libri I. Satira prima, quam biennio post Satiram secundam scriptam esse scimus, ubi μεμψιμοιρίαν plurimorum hominum singulatim persecutus pergit v. 13.

Caetera de genere hoc — adeo sunt multa — loquacem
Delassare valent Fabium.

Quo in loco si quis attenderit Fabium dici loquacem, facile induci poterit, ut hic quoque Ictum istum Satirae secundae intelligendum putet. Constat enim, jam a veteribus scriptoribus στωμυλίαν et πολυλογίαν quamdam Ictis exprobratam fuisse. Eam respiciens apud Platonem Socrates in Apologia c. 20. ait: ἐρῶ δὲ ὑμῖν φορτικὰ μὲν καὶ δικανικά, ἀληθῆ δέ, ubi δικανικὸς est *dicentarius*, ut Gloss. vett. interpretantur, *causidicus*, adnotante Stallbaumio p. 63. At aliorsum nos ducunt Scholiastae, ex quibus Acron: „*Fuit Fabius eques Romanus Narbonensis, qui aliquos libros pertinentes ad Stoicam philosophiam conscripsit. Hic autem Fabius Pompejanas partes secutus est et cum Horatio de disciplinis saepe contendit: ideo ait loquacem.*“ Porphyrion: „*Fabius Maximus, Narbonensis, equestri loco natus, Pompejanas partes secutus, aliquos libros ad Stoicam disciplinam pertinentes conscripsit.*“ Scholiastes Cruq.: „*Fabius Narbonensis equestri loco natus et Pompejanas partes secutus nonnunquam de secta Stoica cum Horatio contendit acriter. Scripsit aliquot libros de philosophia Stoica.*“ Non erat, quod haec tam parvi faceret Torrentius, cujus multo improbabiliorem opinationem de Fabio Maximo, incusante olim Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, auctore Quintiliano Inst. Or. Libr. VI. c. 3. § 52., bene refellit jam Wielandus et Poetam adulationis insimulatum scite defendit. 8) Cognomine *Maximi*, quod Fabio unus Porphyrion tribuit, rejecto Spohnius hic intelligendum censuit *M. Fabium Gallum*, familiarem Ciceronis et Attici studiosissimum, de quo diligenter egit Wetzelius in Argum. Ciceron. ad Divers. Libr. VII. Epist. 23. Huic conjecturae favent Scholiastae, qui Fabium equitem Romanum Narbone ortum esse dicunt, unde fortassis *Galli* cognomen invenit. Spohnius ex Ciceronis ad Divers. Libr. IX. Ep. 25. videtur collegisse, Fabium Gallum primum fuisse Epicureum et posthac, relicto Epicuri horto, transiisse ad Stoicos. Illud valde incertum est, hoc verisimile facit ejus liber de laudibus Catonis Uticensis, quem memorat Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 24. „*Catonem tuum mihi mitte. Cupio enim legere. Me adhuc non legisse, turpe utrique nostrum est.*“ Haud infrequens hujus Fabii Galli mentio fit apud Ciceronem in Epistolis, ex quibus intelligitur, eum optimatium rationes et consilia probasse ac sectatum esse. Hoc quidem partium publicarum studium indicant Scholiastae Pompejanarum commemoratione partium, quas dubito num recte Spohnius de Sexto Pompejo acceperit. Neque illud patior mihi persuaderi, ut hunc Fabium in castris Bruti et Cassii militasse ibique cum Horatio Epicureo multum disputasse credam et inde subortam esse suspicer offensionem utriusque mutuamque velli-

8) De hoc *P. Fabio Paulo Maximo* egi in Comment. I. *de Cassio Parmensi Poeta* §. 3. N. 6.

candi libidinem. In medio relinquam, innotueritne Fabio Horatius ante annum U. C. 713., quo anno Satira VII. omnium prima scripta et evulgata est. Caeterum hac in re Spohnium verum vidisse arbitror, ejusque conjectura magnam habet probabilitatis accessionem ex eo, quod iste M. Fabius Gallus familiariter junctus erat cum Hermogene Tigellio, infestissimo Horatii obtrectatore. Cujus quidem rei testes sunt Epistolae Ciceronis ad Atticum Libr. XIII. 49. et ad ipsum Fabium Libr. VII. ad Divers. 24., mense Septembri a. U. C. 709. scriptae. Jam hanc utriusque familiaritatem ecquis effecisse neget, ut Fabius quoque Horatium, Lucilianae Satirae aemulatorem, male acceperit, de carminibus ejus morumque censura maligne judicarit et fortasse, id quod ab Scholiastis traditum minime a vero abhorret, nonnumquam cum eo acriter et verbose disputarit? Hinc Horatius diuturnas cum eo simultates exercebat. Porro Fabius ille Stoicus erat, et ut singulari libro Catonem Uticensem laudaverat, ita sine dubio Stoicam disciplinam et verbis et, uti Scholiastae quoque attestantur, aliquot scriptis profiteri solebat. Eam ob caussam appellatur ab Horatio *loquax*, *ἀδολέσχης*. Non obstat, quod M. Fabius Gallus a Cicerone Libr. II. ad Divers. Epistola 14. dicitur vir optimus et homo doctissimus, quo familiarissime utatur et quem mirifice diligat cum propter summum ingenium ejus summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Nam Cicero in illa epistola ad M. Coelium amico amicum commendat; contra Horatius hic fortasse cupidius loquitur de Satirarum suarum reprehensore et amico Hermogenis Tigellii, quem odio haberet. Numquis mirabitur, Fabium, quamvis eximie laudatum a Cicerone, ab Horatio, irritabilis animi poeta, in eodem numero ac loco haberi, quo alios illius aetatis Stoicidas *ἀδολεσχοῦντας περὶ ἀρετῆς*? Veri Stoici utique erant inopes in dicendo, ut ait Cicero in Brut. c. 51.: at isti *Στόακες*, *ἔμποροι λήρου*, ut apud Athenaeum Libr. XIII. c. 15. Tom. V. p. 34. Schw. nominantur, alieni ab subtili et adstricto disserendi genere, quod illorum proprium fuisse scimus: vid. Ciceron. de Orat. Libr. III. c. 18. Ex isto hominum de virtute garrientium numero ab Horatio nominatim in scenam producuntur Stertinius Libr. II. Sat. 3. v. 33. et Crispinus, quem Scholiastae ad Libr. I. Sat. 1. v. 120. loquacissimum philosophum appellant, qui *ἀρεταλόγος* dictus sit, et quem de secta Stoica versus scripsisse tradunt. 9) Quoties in Satiris locus daret et occasio, cum istis suo

---

9) Adr. Turnebus Advers. Libr. X. c. 12. nomen *Aretalogi* non tam a v. *ἀρετή*, quam *ἀρετὸς* i. e. *ἀρεστὸς* derivari maluit, ut eo nomine dictus sit, qui narrationes et fabellas, acroamataque auribus auditorum grata loquitur. At recte Casaubonus ad Suetonii Aug. c. 74. admonuit, istam vocem, quamvis Graecam, Romae natam esse et Crispino illi primum attributam videri. Significabantur autem hoc nomine philosophi, qui placita loquerentur ad sui ostentationem et aliorum oblectationem, *Tugendschwätzer*, *Sittenprediger*. Qui cum scholam et sectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant et Romanos variis de virtute et vitio disputationibus oblectabant. Sic Augustus conviviis frequenter aretalogos interposuisse proditur a Suetonio c. 74., ubi oppositi *triviales ex circo ludii* docent, aretalogos honestiore significatione dici. Ab his distinguendi sunt fabulatores, quibus arcessitis Augustum interruptum somnum resumere solitum esse tradit Suetonius c. 78. Serius usurpari coepit aretalogi nomen de ejusmodi fabulatoribus *μυθοπλάσταις*, ut docet Juvenalis Sat. XV. v. 16.

more digladiatum esse videmus Horatium, partim ut horum *ζηταρετησιαδῶν* et *δοξοματαιοσόφων* h. e., ut H. Grotius convertit [10]), virtutaucupidarum et vaniperitiloquorum vanitatem exagitaret, partim eorum iniquam invidiosamque Satirarum suarum obtrectationem ulcisceretur. Jam si ex conjectura admodum verosimili statuimus, etiam a M. Fabio Gallo Satiras ejus improbatas ac vituperatas esse; cuivis planum erit, qui fieri potuerit, ut Horatius, re comperta lacessitus et iratus, illum, quem sciebat non tantum Hermogenis amicum esse, sed etiam Stoicum, ejusmodi Aretalogorum gregi adnumeraret, eumque, cum de hominum *μεμψιμοίρων* querelis sermo esset, cum contemptu quodam commemoraret ejusque, quem insuper pergrandem natu tum fuisse certum est, *ἀδολεσχίαν* perstringeret.

Haec habui quae afferri posse crederem ad stabiliendam Spohnii conjecturam, quae nemo non videt quantam habeat veritatis speciem ac commendationem. Verum tamen ut verum sit, M. Fabium Gallum, Ciceronis quondam amicum, ab Horatio in Satira prima irrisui habitum esse; tamen valde dubium videbitur et controversum, idemne Fabius sit iste judex, quo Poeta in fine Satirae secundae perfacete dicit se esse evicturum, miserum esse in adulterio deprendi. Spohnius quid de hoc loco senserit, ignoratur: Jahnius enim nonnisi Scholiastae Cruq. interpretationem dedit. Heindorfius in utroque Horatii loco unum eumdemque Fabium agnoscit, rationibus sententiae suae non additis. Equidem neminem alium hic intelligendum esse censeo quam M. Fabium Gallum, Stoicum illum loquacem, et hujus sententiae meae caussas et argumenta quam potero brevissime explicabo. Primum unus Scholiastes Cruq. hunc Fabium appellat Jurisconsultum: unde colligas, id non ex antiquo fonte haustum esse, sed conjectura sumptum ex vv. „*judice vincam*," quae utique forum redolent. Hujus Scholiastae eo levior est auctoritas, quo minus credibile est, Acronem et Porphyrionem, si quid in opere illo de Personis Horatianis legissent de Fabio Icto, id silentio praeteriisse. Uterque cum de judice hanc in rem constituto locuti essent, illum in fraudem induxerunt, ut de quaestione ad judices delata cogitaret et Jurisconsultum quemdam somniaret. Deinde, rem propius si spectamus, nequaquam Jurisconsulti erat decernere, utrum miserum esset deprendi in adulterio, nec ne, etiamsi ponamus et concedamus, Fabium istum in semet

---

Attonito quum
Tale super coenam facinus narraret Ulixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus:

quem locum tractat Lobeckius in Aglaoph. Libr. III. c. 6. §. 2. p. 1317. N. Videntur isti fabulatores mythos, quos narrabant, ad mores potissimum vitamque hominum applicuisse, et non tantum *ἡδυλόγοι*, sed et *ἠθολόγοι* fuisse. Philosophi illi, qui Aretalogorum nomen acceperunt, fuerunt plerumque sectae Stoicae, sordido et attrito induti pallio et *πωγωνοτρόφοι*, ita ut gestu cultuque ridiculi essent. Inde Horatius Damasippo, ejusmodi aretalogo barbam alenti, jocose respondet Libr. II. Sat. 3. v. 16. *Di te, Damasippe, Deaeque Verum ob consilium donent tonsore:* ubi vide Heindorf. et ad Libr. I. Sat. 3. v. 133.

10) Vide Antholog. Graec. T. IV. p. 139. N. 110. ibique Jacobsii Animadvers. Vol. III. P. 1. p. 347.

ipso aliquando expertum esse, quanta sit trepidatio et quantus timor adulteri, qui ita a marito domum redeunte urgeatur, ut discincta tunica ac pede nudo fugiendum sit. Ejusmodi res non in foro erat agenda, sed in scholis philosophorum; non de poena adulterii quaerebatur, sed de adulteri deprensi dolore ac miseria. Itaque mittamus Jurisconsultum et anquiramus Philosophum, penes quem ejus rei judicium esse potuerit idoneum ac justum. Jam vide mihi, quantum leporis atque acuminis toti loco accedat, ubi intellexeris Stoicum, praesertim unum ex Stoicidis istis, qui ex scholae suae placitis jactarent, Sapientem totum Fortunae regnum despicere, nullis frangi doloribus corporis nec vexari incommodis, sed etiam in aerumnis beatum manere. [11]) Horatius, descripta adulterorum deprensorum calamitate, suo usus artificio de improviso ad Stoicum quemdam, omnis doloris contemptorem, provocat, cujus judicio evinci posse ait miserrimam esse μοιχοληπτίαν. Nec sine virtute quadam ac vi de Stoicis, qui, ut Cicero Tusc. Disp. Libr. II. c. 8. ait, contortulis quibusdam ac minutis conclusiunculis nec ad sensus permanantibus effici vellent, dolorem non esse malum, usurpatum est v. *vincere*, i. e. convincere, evincere, obtinere, ut, praeter Lambinum ad h. l., docuit Gernhard ad Ciceronis Parad. IV. c. 1. §. 27. Plus acerbitatis huic loco utique accedit, si vera sunt quae Scholiastae de Fabio adultero produnt. Neque tamen id ut statuamus ad virtutem ac festivitatem loci opus est. Sed qua arte Horatius obliquum velut ictum meditans in fine Satirae primae Crispinum, Aretalogum ineptum sectae Stoicae, destringit, eadem etiam hic Fabium ejusque, quam profitebatur, disciplinam velut rigidissimam stoliditatem cum quadam contemptione commemorat et deridet.

Jam si ea, quae modo disserui, hanc habebunt vim, ut nemo amplius dubitet quin in utroque Horatii loco de uno eodemque homine sermo sit; necessaria inde consecutione efficietur, ut, misso Fabio Jurisconsulto, Stoicum hic intelligamus, quem ex Spohnii conjectura veri admodum simile est fuisse illum M. Fabium Gallum, pristina Ciceronis amicitia haud ignobilem, at per Hermogenis Tigellii familiaritatem Horatio invisum ac despicatissimum.

§. 4.

Horatius Libri I. Satira tertia, cui in Editione Henricopetr. 1. haud inscite praescriptum est: *Tertia Stoicidas taxantes crimina taxat*, inde a v. 76. ingressus disputationem de Stoicorum decreto: *omnia peccata paria esse*, ita argumentatur: cum nemo vitiis sit immunis neque ullo pacto fieri possit, ut vitia sive innata sive consuetudine contracta radicitus exstirpemus, nostrum saltem est, ea distinguere et pro cujusque gravitate aut levitate poenas irrogare. Jam ut doceat, quantopere illud Stoicorum dogma a sana ratione discrepet, exemplo usus pergit v. 80.:

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces tepidumque ligurierit jus

---

11) Conferas quae de Sapiente Stoico, omnis doloris contemptore, congessit J. Lipsius in Manuduct. ad Stoic. Philos. Lib. III. Diss. 6. Opp. Vol. IV. p. 762 sqq.

In truce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur. [12])

ubi Acron Scholiastes: „*M. Antistius Labeo juris peritus, memoratae libertatis. Nam in Augustum libere invectus est: ideo eum nunc Poeta male tractat, ut gratificetur Augusto.*" Porphyrion: „*M. Antistius Labeo, praetorius, juris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem dixisse et fecisse dicitur, propter quod nunc Horatius adulans Augusto insanum eum dixit.*" Scholiastes Cruq.: „*Martius Antistius Labeo jurisperitus memoratae libertatis, multa libere contra Caesarem dixisse et fecisse dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens: quare in gratiam Augusti eum hic carpit, et insanum nominat.*" Pro n. *Martius* corrigi debet *Marcus*, etsi *Quinti* praenomen ei tribuitur ab Gellio N. A. Libr. XX. c. 1. „*Itaque cum eam legem Q. quoque Labeo vester in libris, quos ad duodecim Tabulas conscripsit, non probaret:*" quo in loco non multum abest quin scribendum ducam: *legem M. quoque Labeo* etc., cum *M.* a praecedente vocabulo facile absorberi potuerit et *Q.* oriri ex seq. *quoque*. Caeterum nomen gentile *Antestius* exaratum invenitur ap. Orellium Inscriptt. Cap. IV. N. 1528. De Labeone, Icto clarissimo, praeter Bachium in Histor. Jur. Rom. Libr. III. c. 1. §. 10. p. 403. et Neuberum in libr.: *Die Juristischen Classiker.* P. I. p. 77. sqq., singulari libello egit Chr. Gottl. Bienerus. Lips. 1786. 4. M. Antistius Labeo et C. Atejus Capito sub Augusto vixere et duarum sectarum exstiterunt principes. De utroque Tacitus Ann. Libr. III. c. 75. „*Obiere eo anno viri illustres Asinius Saloninus — et Capito Atejus — principem in civitate locum studiis civilibus assecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio. Consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus praecellentem, dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit,*

---

12) Fea, quem secutus est Jahnius, edidit *trepidumque ligurrierit jus*, illiusque epitheti usum stabilire studuit Ovidii Met. Libr. XIII. v. 278. Virgilii Georg. Libr. I. v. 296. At horum locorum diversa plane est ratio. Recte enim aqua *trepida* vocatur, in qua, ut apud Ovidium, ferrum igne rubens submersum sibilat, quoniam illa aestu agitatur, et inde ad ipsum ahenum transfertur, quod Virgilius *trepidum* appellat ob aquam ferventem aestuantemque. Jus autem, quod in mensa appositum fuerat et ab servo sublatum aufertur, non assequor quo modo *trepidum*, i. e. tremulum, ignis aestu adhuc agitatum appellari queat; illud *tepidum* erat. Argutatur Fea dicens nihil interfuisse, utrum jus illud frigidum fuisset an tepidum, sed, quia trepidum adhuc esset, servum ligurivisse. At epitheton illud ornat et servus dicitur ligurivisse, non vorasse jus, ut delicti levitas designetur. Nam *ligurire* significat cum elegantia ac fastidio quodam aliquid degustare, suavissima quaeque decerpere, *belecken*, *naschen*, et sive illud a *λείχειν*, lingere, sive cum Donato ad Terentii Eunuch. IV. 4. v. 14. derivetur *ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ*, rectius scribitur per simplex *r*: vid. Muretus in Schol. ad Terent. Vol. IV. p. 675. Opp. ed. R. cl. Vol. IV. p. 609. Duplex littera canina, qua vulgo exaratur, debetur librariis metro per ignorantiam timentibus: verba enim meditativa sive desiderativa syllabam *ur* corripiunt, sed primitiva, ut *scaturio, scalpurio, prurio, cucurio* et alia producunt: vid. Ramshorn. Gr. §. 84. II. 6. p. 258.

commendatio ex injuria, huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur." Atejus Capito igitur sub Tiberio a. U. C. 775. mortuus, quantum ex Tacito colligi licet, superstes fuerat Labeoni, prius vita defuncto, quem, judice illo ipso Capitone apud Gellium N. A. Libr. XIII. c. 12., agitabat libertas quaedam nimia atque vecors, usque eo, ut Divo Augusto jam principe et rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. Quam memor ille tenaxque fuerit libertatis, in qua natus erat, documento sunt quae narrantur ab Suetonio in Aug. c. 54. et Dione Cass. Libr. LIV. c. 15. Hunc libertatis amorem veluti hereditate acceperat a patre, qui, auctore Appiano de B. Civ. Libr. IV. c. 135., Bruti Cassiique castra secutus, rebus ad Philippos deperditis, locum in tabernaculo ad sui corporis modulum effoderat, deinde datis ad conjugem liberosque per litteras mandatis, servi fidelissimi manu et gladio occubuerat.

Jam hujus viri, quem et ipsum Appianus *ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμον* nominat, filium, legum morumque populi Romani jurisque civilis apprime doctum, Scholiastae dicunt ab Horatio traductum et, id quod inprimis notabile est, ob illud ipsum libertatis studium liberamque adversus Augustum contumaciam appellatum esse *insanum*, ut illi Principi adularetur. Scholiastarum sententiam amplexi sunt omnes, quos novi, veteres Horatii interpretes, et qui Labeonis patrocinium susceperunt serioris aetatis Jurisconsulti, malitiosam istam tanti viri sugillationem et injuriam repetierunt vel ex isto, de quo supra admonitum est, Poetae Venusini in Ictos odio, ut Ev. Otto in Alfeno Varo Cap. III. §. 4., vel ex parasitica ejusdem adversus Augustum adulatione, ut Bienerus. Cujus quidem Viri eruditissimi verba temperare mihi non possum quin adscribam: „Horatius quidem, inquit l. c. p. 6., nos non morabitur, poesis ejus amabilis et praecellens, ipse adulator venalem habuit pennam, et ut deses saliaribus epulis frueretur, fundumque canendo sibi acquireret, eos celebrare solebat, quos suis commodis deservire posse intellexerat. Idem equidem homini ad talia nato vitio non verterim, modo ne aliorum laudibus bonaeque famae decerpat. Quam ob rem Horatii judicium (sc. de Labeone), ex adulatione et ut scenae inserviret prolatum, nullum apud aequos judices habere potest momentum. Ipse enim se prodere videtur canendo Libri I. Satir. 5. v. 37.

In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.

Atejus Capito, in aula Augusti gratiosus, ipse aemulus et adversarius Labeonis ex invidia, uti inter aemulos fieri solet, judicat, ut ne hoc quidem testimonium Antistii laudes famamque minuere possit." Bienerum ea in re partium quaedam cupiditas transversum egit et in gravem impegit errorem, quem viri caetera magni reverentia ductus nolo hic acrius exagitare. [13])

---

13) Non alienum fuerit, Horatii locum ex Libri I. Sat. 5., quem Bienerus in rem suam allegat, accuratius hic explicare. Poeta in illo itinere, quod cum Maecenate Brundisium fecerat, v. 37. venisse se narrat Formias ibique pernoctasse. Eam urbem patriam fuisse Aeliorum Lamiarum, qui-

Scholiastarum testimonio de M. Antistio Labeone, quem ab Horatio insanum

buscum Horatius familiariter junctus esset, discimus ex Libr. III. Od. 17. Neque tamen Formias eorum mentione designat, sed, risus captandi caussa, *Mamurrarum*, vel inde oriundorum vel ibi habitantium, ex quibus tum temporis unus, quem hic in transitu carpit, prae caeteris innotuerat. Is fuit Mamurra Eques Romanus, praefectus fabrum Julii Caesaris in Gallia, qui ingentem pecuniae vim congesserat, v. Cicero ad Attic. VII. Ep. 7. cl. XIII. Ep. 52., et jam Catulli versibus contumeliosis Carm. 29. 29. proscissus fuerat. Illo, quo Horatius scripsit, tempore videtur Romae Senator quidem, sed in luxuria et omnium bonorum contemptu vixisse. In hac igitur Mamurrarum urbe Maecenas ejusque comites pernoctabant, domum praebente Murena, et culinam Capitone. Murena fuit levir Maecenatis, L. Licinius Terentius Varro Murena, frater C. Proculeji Varronis Murenae, Equitis Romani, qui ob pietatem in fratres laudatur ab Horatio Libr. II. Od. 2. v. 6. Cf. Intpp. ad Dion. Cass. Libr. LI. c. 11. et Masson in Vit. Horat. ad an. 734. Huic Murenae inscripsit Horatius Libr. II. Od. 10., ex qua colligimus, eum fuisse hominem in omni vitae genere varium, inconstantem nimisque alta appetentem. Anno U. C. 732. cum Fannio Caepione contra Augustum conspiravit et supplicio affectus est, frustra intercedente Proculejo apud Augustum gratioso et Terentia sorore, Maecenatis uxore: v. Dio Cass. Libr. LIV. c. 3. et Vellejus Pat. Libr. II. c. 91. Videtur Formiis domum habuisse, quam Maecenati ad pernoctandum praeberet. Neque tamen existimandus est tum Formiis praesens fuisse et Maecenatem cum comitibus excepisse, alioqui mirum foret, cur Capito diceretur praebuisse culinam, i. e. cibos, quibus se reficerent. Haud dubie Maecenas, absente Murena, in leviri domum pernoctatum concessit et propter domini absentiam Capito culinae curam suscepit. Neque tamen inde colligi licet cum Torrentio, Capitonem et ipsum Formiis aut certe in agro Formiano aliquid possedisse. Non magis cum Doeringio statuerim, Capitonem, Roma profectum sine dubio se eis instruxisse, quibus viveret cum comitibus, ubi esset hoc in itinere cibi potusque penuria. Veteres quidem, quoties iter faciebant, solebant servos secum ducere cibaria gestantes reticulis, quae a Graecis γύργαθοι dicuntur: vid. Casaubonus ad Theophr. Char. XVI. p. 182. A quo more Horatius Libr. I. Sat. 1. comparationem mutuatus scripsit v. 45.

Millia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus, ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias quam
Qui nil portarit;

ubi ea de re docte exposuit Kirchnerus p. 177. Eam rationem suadebat hospitiorum paucitas et conditio. Quid? quod homines attentiores ad rem, ne quid a cauponibus et hospitibus sumere necesse haberent, et ut minore sumptu peregrinarentur, servorum suorum humeris adeo vasa necessaria imponebant, ut Tullius iste, Praetor et homo sordidus, de quo Horatius Lib. I. Sat. 6. v. 107.

Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.

Verum tamen cum in tota hac itineris descriptione nihil occurrat, quod ad istum morem referri possit et Maecenati et Coccejo, magnis de rebus utrique missis, lautia (v. Intpp. ad Livii Libr. XXVIII. c. 39.) praebenda essent a parochis (v. Intpp. ad v. 47. et inpr. Ever. Otto de Aedilibus c. 10. p. 342.), malim ista jocose scripta esse in laudem Capitonis, qui, quae esset ejus sedulitas, lautiorem coenam parasset. Nam Capito ille minime est C. Atejus Capito Ictus, ut Bienerus opinatur, sed is, de quo Horatius in illo itinere Anxur progressus scribit v. 31.

— Interea Maecenas advenit atque
Coccejus Capitoque simul Fontejus, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

Quaerentibus autem nobis quis Fontejus ille Capito, Antonii amicus, fuerit, planum est, non posse

appellatum esse referunt, primus omnium Bentlejus controversiam movit et quemvis alium quam clarissimum illum Jurisconsultum intelligi debere eloquentissime probatum ivit. „Quid enim? inquit, illene (n. Horatius) virum Senatorem, dignitate, opibus, sapientiae gloria, et gratia apud cives florentissimum, multis denique rebus sese meliorem, tam vecordi contumelia laceraret? Esto enim, ut in gratiam Augusti laedere eum gestiret: quo tamen ore non sibi solum, sed omnibus sanis insanum eum videri, dicere potuit? Hoc certe convicio sibi ipse cognomen insani et furiosi merito invenisset.“ Deinde scriptorum testimoniis de Antistii Labeonis laude in medium prolatis, aut alium hic contendit intelligendum esse Labeonem, cujus hodie licet ignoti famosa tum fuerit insania, aut, conjecturae si locus concedatur, pro *Labeone* reponendum *Labieno*. Cui quidem conjecturae tum ingeniose excogitatae, tum perdocte declaratae nihil ferme videatur deesse, nisi consensus Codicum, qui tamen ad unum omnes *Labeonis* nomen integrum et vix levissimo mendo suspectum praestant. [14]) Qua de caussa etiam Wielandus cum Bentlejo eatenus tantum facit, ut necessario hic statuat alium intelligendum esse Labeonem, hominem illius aetatis nescit quem, eumque vere captum mente ac delirum. At de homine cerrito cum hic cogitamus, vereor, ne omnis pereat loci urbanitas atque acumen. Quis enim est qui non sentiat, Poetam voluisse hic de more unum ex aequalibus suis ὡς ἐν παρόδῳ pungere? Istiusmodi autem homo, qualem fingit Wielandus, [15]) misericordia potius quam irrisione dignus,

---

intelligi M' Fontejum Capitonem, qui ex praetura urbana, quam a. U. C. 676. gesserat, provinciam Galliam Narbonensem obtinuit ab a. U. C. 677—679. et inde reversus repetundarum reus a Cicerone defensus est a. U. C. 684. Is valde dubium est num a. U. C. 716. adhuc vixerit. Idcirco Heindorfius cogitat de C. Fontejo Capitone, qui Consul fuerit cum Germanico a. U. C. 765., testibus Dione Cass. Libr. LVI. c. 26. et Suetonio in Calig. c. 8. At quo minus hunc statuamus fuisse intimum istum Antonii amicum, obstat ejus juventus. Spohnius conjectura verisimillima, quam ante eum jam proposuerat Pighius Annal. Rom. ad an. 720. Tom. III. p. 497. huc refert Caji patrem, Antonii in Asia legatum et a. U. C. 721. Consulem suffectum. M. Antonius a. U. C. 717. Syriam ingressus ut Parthis arma inferret, illum Alexandriam misit, ut Cleopatram arcesseret, teste Plutarcho in Anton. c. 37., remissa in Italiam Octavia, ne scilicet belli Parthici laborumque consors esset, ut ait Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 54. Jam hunc Fontejum Capitonem Maecenas et Coccejus in itineris societatem assumpserant, quo felicius Antonium Octaviano conciliarent. Atque sicut ille Cleopatrae adducendae aptus fuerat quippe homo concinnus et bellus; ita, opinor, nemo dubitabit quin idem, Antonii bibacis et gulosi amicus, fuerit idoneus, qui Formiis culinae curam susciperet itinerisque comitibus coenam pararet.

14) De Tito Labieno exposui in Comment. I. *de Cassio Parmensi Poeta* §. 3., non omissa ibi Bentlejanae mentione conjecturae, quam ipse Fea valde speciosam censet negans cum Baylio in Diction. s. v. *Cassius*, et Trotzio de Mem. propag. c. 1. p. 33. sqq., Antistium Labeonem Ictum nominari potuisse ab Horatio insanum. Bentleji conjecturam qui probaverint, allegati sunt a Bienero l. c. p. 7. N. 5.

15) Argutius quam verius scripsit Wielandus P. I. p. 102. „*Aller Wahrscheinlichkeit nach war der Labeo, von welchem hier die Rede ist, physisch toll, oder toll zum anbinden; und es war ohne Zweifel eine so notorische Sache, dass Horaz sogleich einem jeden verständlich war, indem er sagte: Wenn einer seinen Sclaven, wegen einer solchen Kleinigkeit, ans Kreuz schlagen liesse, würden ihn alle Leute, die bei ihren Sinnen sind, für toller als den Labeo d. i. für einen Unsinnigen, der ins Tollhaus gehört, halten. Wäre dieser Labeo nur ein morali-*

neutiquam, opinor, ab humanissimo Poeta nominatim in scenam productus fuisset. Deinde vehementer frigerent verba *inter sanos*, quae ne omnis vis oppositorum intercipiatur, flagitant, ut hominem hic commemoratum exspectemus sanae alias mentis, sed facti alicujus insania famosum. Idem cum procul dubio sensisset Spohnius et de M. Antistio Labeone Icto cogitari nollet, suspicatus est, C. Atinium Labeonem, Tribunum plebis a. U. C. 624., ab Horatio traduci. Is, cui, auctore Plinio N. H. Libr. VII. c. 44., cognomen erat Macerioni, Q. Metellum Macedonicum, a quo Censore ejectus fuerat e Senatu, redeuntem ex Campo sub meridiem obtorto collo ad Tarpejum rapuit, ut praecipitaret. Metello caeteri Tribuni plebis supervenientes auxilio fuerunt. Labeo iram a corpore Censoris in bona ejus vertit eaque palam, inspectante populo, foculo in Rostris posito adhibitoque tibicine, consecravit. [16]) Hanc sceleratam Tribuni plebis audaciam etiam Cicero pro Dom. c. 47. appellat furorem. Neque tamen inde conjecturae Spohnianae quidquam firmamenti accedere arbitror. Primum enim eccui credibile erit, ejusmodi furorem, quem idem Cicero verissime ait ductum esse ex nonnullis perveterum temporum exemplis, adeo nobilitatum esse, ut ad posteritatem usque singulari quadam ratione celebraretur et ipsi auctori hominis insani nomen et famam adderet? Nonne eamdem istam insaniam multi ante Atinium Labeonem Tribuni plebis insanierant? Qua tandem re illius in Metellum furor tam insignis ac notabilis erat, ut prae caeteris Tribunis plebis Labeo octoginta annis post solus appellaretur insanus? Rem notam autem a Poeta respici et vulgi ore frequentatam, manifestum est. Denique quae tandem est similitudo ac necessitudo inter furorem Tribuni plebis in civem liberum ac nobilem atque inter crudelitatem in servum leviter delinquentem? Haec quo pacto potuerint inter se componi et comparari, fateor me non assequi. Nam aut vehementer fallor aut sententiarum concinnitas flagitat, ut quod in protasi declaratur hominum genus saevissime punitum, idem in apodosi intelligi debere statuamus. Igitur Labeo iste, quisquis fuit, non in civem sed in servum quemdam olim crudeliter animadverterat et pro delicti ratione tam crudeliter, ut ab omnibus sanis insanus haberetur. Qui servum, inquit Horatius, ob liguritionem in cruce suffigit, is merito existimabitur a sanis ipsius Labeonis insanam in servos duritiem superasse. Quae quidem interpretatio valde juvatur vv. *insanus* et *sanus*, in quibus ambiguitatem quamdam inesse studiose quaesitam, neminem, qui hujus Satirae consilium perspexerit, latebit. Bentlejus et Heindorfius *insani* nomen capiunt de homine moroso et intractabili. Ille ex Gellio N. A. Libr. XVIII. c. 7. allegat Domitium illum, cui cognomentum *insano* factum est, quia esset natura intractabilior et morosior; hic confert Platonis Symp. c. 2., ubi Apollodorus, Socratis auditor, a vehementi, qua flagrat, cupiditate *μανικὸς* appellatur. Verum tamen mihi videtur Horatius cum acumine quodam usus esse isto verbo, quo simul illuderet do-

scher Narr gewesen, so könnte, däucht mich, nichts frostiger seyn, als dies Labeone insanior, da von einer Handlung die Rede ist, deren man keinen seiner Sinne mächtigen Menschen fähig halten kann.“

16) Videsis Pighii Annal. Rom. ad a. U. C. 623. Tom. III. p. 20.

ctrinae Stoicorum. Hinc etiam Scholiastae *sanos* bene explicant *sapientes*, i. e. Stoicos qui naturam ducem sequuntur. Jam sicut v. *insanus* in universum saepe de eis omnibus usurpatur, quae modum excedunt, ut pluribus docuerunt Erfurdtius ad Sophoclis Ajac. v. 143. Vol. VI. p. 505., Wakefieldus in Sylv. Crit. Tom. I. p. 27., Drakenborchius ad Sil. Ital. Libr. I. v. 251., Burmannus ad Valer. Flacc. Argon. Libr. I. v. 506. et Heindorfius ad Horat. Sat. Libr. II. 2. v. 5.; ita h. l. cum levi et tecta Stoicorum vellicatione Labeonem *insanum* dictum habitumque esse suspicor, quoniam in servum familiae suae ob leve quoddam delictum tam duriter ac crudeliter animadvertisset, ut, re per Urbem divulgata, ejus insania in omnium ore esset et probris traduceretur. Rem haud dubie non ita pridem factam tangit Poeta, de qua silentium scriptorum nihil habere potest mirationis, cum ea levior fuerit, quam quae memoriae proderetur. Accedebat, quod illud crudeliter factum ab homine perpetratum est nullam dum famam et nominis claritatem adepto, ita ut duntaxat ad tempus in hominum ore ac sermone esset ac temporis progressu illius memoria oblitteraretur et serius excellentibus Labeonis virtutibus meritisque plane exstingueretur. Nam equidem nihil dubito cogitare de M. Antistio Labeone, Icto clarissimo, et sequi Scholiastas, quorum fides ea in re cum per se non parvi facienda sit, tum etiam chronologicis rationibus aliisque argumentis communiri potest. Scripta est Satira tertia, ut osteudi in Comment. II. *de L. Vario Poeta* §. 2., per hiemem a. U. C. $7\frac{13}{18}$.: quo tempore M. Antistium Labeonem circiter viginti annos natum esse existimo. Wielandus enim ratione perquam probabili ductus statuit, Labeonem Ictum anno U. C. 696. natum esse. Cui addi potest, eum anno U. C. 712., quo pater ejus in pugna Philippensi pro libertate occubuit, nondum videri ea aetate fuisse, qua juvenes Romani stipendia facere coeperunt. Priscae libertatis amor, quem Labeo per omnem vitam dictis factisque expromebat, dubitare nos non sinit, quin ille, si jam tum militarem aetatem attigisset i. e. septemdecim annos natus fuisset, cum patre Bruti et Cassii castra secutus fuisset: qua tamen de re nihil relatum legimus. [17]). Atque nescio an ex verbis Appiani de B. Civ. Libr. IV.

---

17) Haec scite observavit etiam Carol. Passovius, qui Horatii Libri I. Satiram tertiam. Berolini 1827. 4. edidit, et Scholiastarum de Labeone Icto testimonio meritam attribuit fidem. At cum Labeonem ab Horatio, Augusti adulatore, *insanum* dictum esse judicat ob vehementiorem rigidioremque priscae libertatis amorem, et fallitur et Poetae Venusino, Triumvirorum osori, injuriam infert. Quis enim, qui Horatium noverit, cum Passovio faciet scribente: „*Gewiss also ist, dass Labeo die von Augustus ihm übertragenen Würden itzt noch nicht bekleidete, und je jünger und näher der Zeit republikanischer Unabhängigkeit, um so betäubter von seinem Freiheitstaumel war, da er ihn selbst später im Dienste des Kaisers nicht ablegen konnte. Diesem Charakter entgegen stelle man Horatius' Denkweise, die sich leicht und gerne den neuen Zeitverhältnissen anbequemt hatte, seine philosophische wie politische Indolenz. Ob — was wahrscheinlich ist — an unsrer Stelle ein bestimmter Vorfall angedeutet wurde, lässt sich nicht ermitteln, unterdessen möge man sich überzeugt halten, dass der Dichter jeder lächerlichen und nichtigen Schwärmerei feind genug war, um ohne alle elende Nebenabsichten den Gewährsmann derselben einen insanissimus zu heissen. — Man erinnere sich noch, dass insanus häufig bei Horatius von fixen philosophischen Ideen und andern Manien gelesen werde, warum nicht auch von politischen?*"

c. 135. *καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς θεράπουσιν ἐντειλάμενος, ἐπέσκηψε τῇ γυναικὶ καὶ τοῖς παισὶ περὶ ὧν ἐβούλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε τοῖς οἰκέταις* certo colligi possit, nullum ex filiis suis patrem ad Philippos secum habuisse. Ille igitur cum eo, quo Horatius scripsit, tempore vir juvenis esset suique juris, nihil obstat quo minus suspicemur, eum aliquando a servo quodam levis delicti caussa tam duram crudelemque sumpsisse poenam, ut *insani* nomen apud aequales inveniret. Atque sicut aetas, ita animus quoque ejus probabile reddit ejusmodi facinus, quod minime alienum est ab homine, qui, quoad vivebat, asperum se gessit, praeferocem ac contumacem. Neque etiam acerba ista Labeonis irrisio abhorret ab animo Poetae, qui licet cum patre ejus in iisdem castris militasset, tamen nihil necessitudinis habebat cum filio, quem verisimile est tum temporis Romae in jure civili operam dedisse C. Trebatio Testae Icto et, quam ab Jurisconsultis magni aestimatam esse constat, philosophiae Stoicae studuisse. [18]) Unde etiam caussa apparet, ob quam Horatius eum in hac potissimum Satira, quae adversus Stoicos scripta est, perstrinxerit. Caeterum nulla alia re videtur tum inclaruisse Labeo. Nam demum anno U. C. 736., quo Augustus Senatum iterum a deformi et incondita turba purgavit, ille primum occurrit ab Imperatore inter triginta ex omnibus electus viros, qui sacramento adacti quinos deligerent Senatores: vid. Suetonius in Aug. c. 54. et Dio Cassius Libr. LIV. c. 13. Quo anno Praetor fuerit, incognitum est. Pomponius L. II. §. 47. D. de Or. Jur. auctor est, eidem ab Augusto Consulatum oblatum esse, quem honorem repudiaverit: vid. Bachii Histor. Jurispr. Rom. Libr. III. c. 1. §. 10. N. p. 404. Id autem post annum U. C. 759., quo C. Atejus Capito Consul suffectus fuisset, factum esse ex loco Taciti Ann. Libr. III. c. 75. apertum est. Ex his omnibus efficitur, M. Antistium Labeonem illo, quo Horatius ei illuserit, tempore nondum fuisse, ut Bentlejus ait, virum senatorem, dignitate, opibus, sapientiae gloria et gratia apud cives florentissimum, sed vix juvenili egressum esse aetate neque ulla alia re civibus notum, quam famigeratissima ista, qua servum leviter delinquentem tractasset, saevitia atque insania.

Quae cum ita sint, satius, opinor, erit acquiescere in Scholiastarum testimonio, quam vagis incertisque de alio Labeone conjecturis indulgere. Scholiastae enim, rerum temporumque ordine minus perspecto, non nisi in caussa falluntur, ob quam Horatius M. Antistium Labeonem perstrinxerit. Quemadmodum vero Augustus illo tempore Poetam Venusinum vix nomine cognoverat, nedum ullo beneficio aut gratia affecerat; sic Labeonem quoque juvenem Romae tum delitescentem studiisque vacantem procul dubio nulla dum cura et attentione dignatus fuerat. Itaque Horatius Labeonem, clarissimum posthac Jurisconsultum, minime male hic tractabat, ut Augusto gratificaretur aut ut innatum sibi in Ictos odium expromeret.

---

18) De Jurisconsultorum Romanorum philosophia Stoica accurate exposuit Bachius in *Histor. Jurispr. Rom. Libr.* II. c. 2. §. 14. p. 239. sq. cl. Hugo *Lehrb. d. Röm. Rechts* p. 605 sq. ed. 1822.

§. 5.

Postquam Horatius illud Stoicorum dogma de peccatis paribus suo more tractaverat, vanitatem ejus declaraturus Satirae ejusdem v. 115. pergit:

Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti
Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam, ut ferula caedas meritum majora subire
Verbera, non vereor, cum dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. [19])

Poeta, ut solet, *διαλογιζόμενος* disputantem secum inducit Stoicum quemdam et facta mentione *regni*, quod iste sibi optare fingitur, in reliqua carminis parte festive irridet superbam illam ac celebratam de Sapiente Stoico sententiam, quam expressit Libri I. Epist. 1. v. 106. „*Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.* [20]) Itaque simulato quodam stupore subsannans eum interrogat v. 124.

---

19) Non temere, ut mihi quidem videtur, post Sim. Bosium Lambinus suspicatur, Horatio haec scribenti obversatas esse leges Draconis, a quo, ut ait Plutarchus in Vit. Solon. c. 17., *μία — ὀλίγου δεῖν ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία θάνατος· ὥστε καὶ τοὺς ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν καὶ τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις.* — V. 119. *Scutica* (a *σκῦτος, corium*) et *ferula*, *νάρθηξ*, quibus puniebantur pueri, a Martiale Libr. X. Epigr. 62. v. 10. dicuntur *sceptra paedagogorum.* Levis haec animadversio, cui proxima erat *fustium* castigatio in criminibus et legum violatione usurpari solita: v. Horatii Libr. II. Epist. 1. v. 152. Multo gravior et cum ignominia conjuncta erat poena *flagellorum, μαστίγων*, quae servis infligebatur, qui inde dicti sunt *flagriones*, *mastigiae:* vid. Ever. Otto de Aedilibus Coloniarum et Municip. Cap. XIII. §. 6. p. 474 sq. — Verbum *sectandi* ejusque potestatem h. l. illustrant verba M. Catonis ap. Gellium N. A. Libr. XVII. c. 6. „*Postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet.*“ — V. 120. multum negotii Interpretibus fecerunt vv.: *ut caedas — non vereor*, quae significant: non vereor, ne non caedas, i. e. confido, te esse caesurum. Quae adversa fronte repugnant menti Poetae dicere valentis: non dubito quin, cum peccata omnia paria esse statuas, eum, qui graviorem poenam meritus sit, ferula tantum caedas. Itaque alii ellipsin h. l. invenerunt sic supplendam: *non vereor*, ne id facias *ut caedas* etc.; alii *ἀνακολουθίαν* hic viderunt, quasi Poeta pro *non vereor* scribere voluisset: *verisimile non est sive id fieri posse non puto*, *ut* etc.; denique alii *ut* pro *ne* per *σολοικισμὸν* positum esse opinati sunt. Horum omnium ariolationes, quarum aliam alia dicas vaniorem, oppressit acumen G. Fr. Grotefendi in Grammat. Lat. §. 239. N. 4. Tom. I. p. 356. ed. 3.

20) De magnifico isto Stoicorum dogmate videas praeter ea, quae Theod. Schmidius ad Horatii l. c. diligenter collegit, etiam Tennemanni *Histor. Philos.* Vol. IV. p. 135. sqq.

Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex;
Cur optas, quod habes?

Quid, inquit Horatius, opus est illa conditione: *si regnum permittant homines?* Stoicus cum sis, habes regnum et rex es. Ad quae ille, Poetam inscientiae coarguens, v. 126.

Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens? [21])

Quibus auditis Poeta, simulans se Chrysippi dogma non intelligere, admirabundus interrogat: *Qui?* Tum inducitur Stoicus iste propositis duobus exemplis evincens, quam verum sit, quod Chrysippus docuerit. Is enim subjicit v. 129.

Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni
Abjecto instrumento artis clausaque taberna
Sutor erat sapiens operis: sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex.

Quo in loco animadverti debet mirificum Horatii artificium, quo per Stoicum istum, quocum disputat, duo homines aequales vellicat eosque sic in scenam producit, ut rei illustrandae gratia non studiose quaesiti, sed ultro oblati videantur. Et primum quidem profertur *Hermogenes Tigellius*, Sardus, obtrectator Poetae Venusini infestissimus, quem biennio ante, quam Satira tertia componeretur, mortuum esse novimus: v. Comment. *de Q. Horatii Fl. Obtrectatoribus* §. 4. p. 297. sqq. Quemadmodum hanc ipsam Satiram ab isto suo adversario exorsus fuerat, vitam ejus et mores vel post mortem irridens, sic Stoicum hic ad probandam Chrysippi sententiam de mortuo illo cantore ita loquentem facit quasi vivat adhuc et canendi laude vigeat. Qua in re plurimum fellis inest ac leporis! Hermogenis enim nomen tamquam commune pro quovis cantore optimo ac modulatore usurpatur. Deinde *Alfenum* quemdam Horatius fingit commemoratum esse ab Stoico isto ita argumentante: Sicut Hermogenes, etiamsi taceat, tamen facultate sua cantor est manetque optimus, et sicut Alfenus, cum olim sutrinam fecerit, etiamnunc, licet tabernam clauserit, non facto quidem, sed potestate sutor est; ita Sapiens Stoicus, si facultatem ejus spectas, omnis operis optimus est artifex.

Jam *Alfenus* ille, quem manifestum est a Poeta hic in transcursu carpi, magnam dubitationem habet ac controversiam quis fuerit? Ex Commentatoribus Horatii veterrimus Acron, „*Urbane satis*, inquit, *Alphenum vafrum* (Varum?) *Cremonensem deridet, qui, abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit magistroque usus Sulpicio Jurisconsulto ad tantam pervenit scientiam, ut et consulatum ge-*

21) Ex Stoicorum doctrina Sapiens erat *sutor bonus* τῇ δυνάμει, οὐ τῇ ἐνεργείᾳ, h. e. potestate et facultate, non usu et functione opificii, et sic omnia alia facere poterat. Rem copiose tractat J. Lipsius in Manud. ad Stoic. Philos. Libr. III. Diss. XVII. p. 797. sq. Tom. IV. Opp.

reret et publico funere efferretur. Aliter Alphenus sutoris filius, qui ita juris studio intendit, ut beneficio artis hujus latum clavum sumeret et ad consularem consurgeret dignitatem. Sunt qui dicant, hunc Cremonensem fuisse." Porphyrion: „*Sic Stoicus rex et quidquid sibi assignat, potest dici, ut Alphenus sutor, quamvis tabernam clauserit et omne instrumentum sutrinae vendiderit. Is enim abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam petiit, Marcoque Sulpicio Jurisconsulto usus ad tantum dignitatis pervenit, ut consulatum gereret et publico funere efferretur.*" Ab utroque totus pendet Scholiastes Cruq.: „*Urbane satis Alfinium Varum* (sic!) *Cremonensem inducit. Sic, inquit, Stoicus sapiens et rex et sutor dici potest, ut Alfinius erat: qui Cremonensis, abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, Marcoque Sulpicio Jurisconsulto usus sua scientia ad tantum dignitatis pervenit, ut consulatum gereret et publico funere efferretur.*" Fuit igitur ille Alfenus cognomine Varus, si Scholiastarum fidem sequimur, Cremona oriundus; in quo municipio olim sutrinam fecerat. Ea abjecta et clausa taberna Romam adierat operam daturus Servio Sulpicio Icto. 22) Ex hujus disciplina evaserat jurisperitus et ad Consulatum usque evectus fuerat. Quibus obiter tantum cognitis vix cuiquam dubium erit quin Scholiastae locum Horatii retulerint ad *P. Alfenum Varum*, Jurisconsultum illius aetatis haud ignobilem, quem scimus ab Augusto a. U. C. 755. Consulem suffectum esse: vid. Pighii Annal. Rom. Vol. III. p. 552. Quidquid de hoc Icto apud scriptores veteres passim memoriae proditum legimus, summa cum cura congessit Everardus Otto in libro, quem supra §. 1. commemoravi, cui addi possunt quae disserui in Comment. I. *de L. Vario Poeta* §. 4. N. 12. cl. N. 7. Atque, id quod mirum est, Bentlejus cum perindignum judicasset, M. Antistium Labeonem Ictum ab Horatio appellatum esse insanum, hic P. Alfeni Vari irrisione nihil offensus vulgatam tantum v. 132. lectionem, qua ille Alfenus *sutor* fuisse perhibetur, impugnat et condemnat. Cruquius in vetustissimo Blandinii codice, erasis quidem characteribus, invenerat *Tonsor erat*, eamque lectionem stabiliverat qualicunque testimonio Alexandri ab Alexandro scribentis Genialium Dier. VI. 23. *Alfenum hunc ab adolescentia tonstrinam exercuisse.* Jam cum Bentlejus etiam in suo Acrone Msto pro *abjecta sutrina* legisset *tonstrina*, non dubitavit, spreta Codicum caeterorum omnium auctoritate, istam lectionem velut jure postliminii revocare, eamque utcumque firmare studuit atque exornare. Dicit enim, inconcinnum esse, quod, cum v. 128. sutor commemoratus sit, ad idem opificium v. 132. revertatur; multo concinnius esse, si oratio per varia discurrat opificia. Atque suam ille sententiam hominibus persuasit admodum multis et doctis. Nihil ut dicam de Horatii editoribus, Cuningamo, Sanadono, Oberlino, Wakefieldo, Wielando, Wetzelio, adeoque Fea, peracri alias ingenii Bentlejani obtrectatore, qui omnes sine novorum testium praesidio istam correctionem adoptarunt; etiam alii suo illam assensu

22) De *Servio Sulpicio Q. F. Lemonia Rufo*, quem Cicero in Brut. c. 41. non ejus modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuerant, in jure civili principem esse ait, singulari scriptione egit Everardus Otto in Thes. Jur. Rom. Vol. V. p. 1549. sq. cui adde quae collegit Ellendt in Prolegom. in Cicer. Brut. §. 56 sqq.

comprobarunt, quos inter primo loco ponendus est Everard. Otto Cap. III. §. 3., qui *vafri* nomen in tonsorem magis quam sutorem convenire probatum it ex loco Martialis Libr. VI. Ep. 64. v. 26.

Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte:

ubi Cinnamus intelligendus est iste tonsor, in quem scriptum est Libri VII. Epigr. 64. Deinde recentissima aetate tacite adstipulati sunt J. H. Vossius ad Virgilii Ecl. VI. v. 7. p. 15. ed. 2., Jahnius in Introduct. in Virgil. p. VII., Jacobsius in Animadv. ad Phaniae Epigr. VI. Vol. II. P. 1. p. 169. et Huschkius de Annio Cimbro p. 64. N. 18. Tametsi concedo, in verbis adjunctis nihil esse, quod lectioni isti adversetur, si quidem *instrumentum* esse potest vel *τὸ ξυρὸν*, novacula, vel *ἡ σμίλη*, scalpellum, et *taberna* tum *τὸ κουρεῖον* tum *τὸ σκυτεῖον;* tamen magnopere vereor, ne Bentlejus opinatus, Poetae hic concinnitatis gratia per varia opificum genera discurrendum fuisse, sententia et vi hujus loci non satis circumspecta, lapsus sit judiciumque suum praecipitaverit. Illa enim observatio aliquam vim haberet, si utroque loco sutor ab ipso Poeta in medium proferretur. At Horatius, irrisurus Stoicorum jactantiam, v. 125. consulto *sutoris* mentionem injecerat, qua Stoicum istum quasi imprudens deduxisse videretur in memoriam et exemplum Alfeni, quondam sutoris, quem hic in transcursu pungere apud se constituerat. Quis igitur non videt, Stoicum, qui hic respondens inducatur, debuisse ejusdem opificii exemplum afferre et hominem aliquem commemorare, qui, olim cum sutor fuerit, mutato licet vitae genere, tamen etiamnunc sutrinae artis facultatem teneat. Nam aut fallor aut inconcinnum fuisset, si Stoicus iste, Poetae sutorem memorantis sententiam illustri aliquo exemplo confutaturus, tonsorem pro sutore protulisset. Qua de caussa tantum abest, ut sutoris mentionem v. 125. factam damnare credam plurimorum Codicum lectionem v. 132., ut ibi firmissimum ejus praesidium inveniam. Cui quidem lectioni haud scio an nihil firmamenti etiam accedat ex Libri II. Satira tertia, in qua Horatius Damasippum, ex prodigo Stoicum repente factum, inducit secum disputantem et ex Stertinii magistri disciplina probantem, omnes stultos, i. e. non Stoicos, esse insanos. Ad stultos autem referendos esse docet cum alios, tum etiam v. 104.

Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis; delirus et amens
Undique dicatur merito. Qui discrepat istis
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?

Quo in loco homines, qui opes construant incognito earum usu, similes esse dicit ei, qui, licet *ἄμουσος* sit neque artis studiosus, instrumenta tamen musica coemat, aut scalpra et formas, *τὰ καλοπόδια*, qui non sit sutor. Quae quidem comparatio quemvis mirum habeat necesse est eique in memoriam revocet Hermogenem cantorem et Alfenum sutorem, qui in simili cum Stoico quodam sermone aliquot annis ante conjunctim ab Horatio in scenam producti fuerant. Inde probabilius quoque fit, Alfenum

istum non tonstrinam olim fecisse, sed sutrinam. Denique, recepta Bentleji correctione, periculum est, ne toti loco multum acuminis et artificii subtrahatur. Poetae enim v. 125. scribenti non potest dubitari jam obversatum esse Alfenum, hominem aequalem et relicto nuper mutatoque priore vitae quaestusque genere si non ridiculum, certe omnibus notum. Eum, jam tum fortasse ingenio doctrinaeque studiis inclarescentem, ne ipse argueretur malitiose irrisui habuisse, callide non tonsorem, aut sartorem aut aliusmodi opificem in illudendo isto Stoicorum dogmate commemorat, sed sutorem, quoniam tum res ipsa secum ferret et sermonis ratio, ut Stoico ad haec respondenti Alfenus, tamquam Stoicae doctrinae de Sapiente documentum illustre, in mentem veniret. Hac ratione illa Alfeni irrisio multo minus acerbitatis habebat adeoque cum laude quadam erat conjuncta.

Quae cum ita sint, mihi est persuasissimum, Bentlejum loco huic Horatiano pro sutore *tonsorem* praepropere intulisse, praesertim si testes, quos secutus est, spectamus, qui quam incertae sublestaeque sint fidei, nemo est quin intelligat. [23]) Quapropter, licet per se nihil referat, Alfenus ille sutor fuerit olim, an tonsor, cum utrolibet modo derideatur; tamen plures eique boni Codices cum sine corruptelae suspicione praebeant: *Sutor erat*, in eorum consensu et auctoritate acquiescendum erit.

Illud jam superest ut quaeramus, sitne hic vere intelligendus P. Alfenus Varus, qui, Augusto imperante, magnum in Jurisconsultis habebat nomen? Scholiastarum, penes quos solos ejus rei fides est, testimonium primus, quod sciam, in dubium prolatis aliquot rationibus vocavit Christfr. Waechtlerus Ictus in Actis Erudit. Lips. a. 1711. p. 23. sqq. Multo tamen doctius copiosiusque illud impugnavit Everard. Otto Cap. III. §. 2. sqq. Et primum quidem urget vv. *sutor erat*, quibus manifestum sit de homine hic sermonem esse jam pridem mortuo. Cum autem Alfenus Ictus, Horatio aetate suppar eique adeo superstes, illo, quo Satira tertia scripta sit, tempore in vivis adhuc fuerit floruerittque, evidens esse contendit Otto, aut cogitari hic debere de alio Alfeno quodam, homine aulico eoque supino suaeque originis oblito, aut aliud in Horatii contextu substituendum esse nomen. Ipse ariolando profert vel *Alpinum* turgidum, quem Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 36. perstrinxit, vel *Aquinium*, poetam malum a Catullo C. 14. et Cicerone Q. Tusc. Libr. V. c. 22. memoratum, vel *Albinum*, ex cujus rerum Romanarum primo Priscianus Libr. VII. c. 5. §. 22. haec allegat:

Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, non tutae moenibus urbis.

---

23) Cruquius in Acrone Cod. Bland. Msto pro *sutrina* reperit *ustrina*, idque mirabiliter sibi placere affirmat, partim quia tonsoris sit, ustulare et ornare crines, partim quoniam hoc artificii genus aliquanto nobilius sit et ad insinuandum se in potentum benevolentiam accommodatius, quam sutrina. Quae quam futilia sint, quilibet videt, atque istud *ustrinae* vocabulum apud Acronem patet ortum esse per vitiosam litterae sibilae trajectionem ex *sutrina*. Atqui ex hoc mendo colligit Cruquius, sub erasis ipsius carminis characteribus latere lectionem: *Tonsor erat!* Subit mirari, quod Bentlejus, tanti vir acuminis ac judicii, in fraudem induci se passus sit.

At nihil ut dicam, nullum horum poetarum, quantum quidem eos noverimus, commodum hic invenire locum, etiam omnes Codices *Alfeni* nomen tam tectum sartumque praestant, ut, qui illud voluerit mutare, vix summae temeritatis crimen effugiat. Deinde Ottoni §. 3. non credibile videtur, Horatium libertino patre natum tam protervae frontis fuisse, ut illum summae auctoritatis et claritatis Ictum recto nomine traduceret eique generis ignobilitatem et quaestum sordidum exprobraret. Denique Otto §. 4. inprimis effert P. Alfeni Vari eruditionem, ad quam negat pervenire eum potuisse, si juventutem in sutrina sive tonstrina transegisset. At hoc argumento nimium probari, in aprico est. Neque ex tribus, quae ille Ictus habebat, nominibus tuto colligi potest, eum non de plebe natum esse, sed patrem habuisse nobilem et clarum, de quo multa conjectando profert Otto §. 5. incerta admodum et dubia. Quid, quod ab ipso Ottone aliquot exempla allata sunt, quibus istud argumentum a tribus repetitum nominibus convellatur. Atque quum idem dicit, tonsores istac aetate servos vel libertos fuisse, non est id ejusmodi, ut improbabile censeamus, P. Alfenum Varum, de cujus natalibus parentibusque nihil nobis cognitum sit, relicta sutrina, ad artium liberalium studia transiisse in eisque posthac inclaruisse: cujus quidem rei conspectiora aliquot exempla collegit Otto Cap. II. §. 2.

Verum tamen quaecunque ab Ottone, qui id ageret, ut Alfenum ab injuriis veterum vindicaret, docte quidem, sed cupide et coeco quodam ordinis sui amore ad labefactandam Scholiastarum interpretationem disputata sunt, ea neutiquam me adducunt, ut cum Wielando ad Horatii Satir. I. N. 12. p. 118. sqq. simpliciter infitias eam, posse hic P. Alfenum Varum, clarissimum illum Jurisconsultum, intelligi. 24) Sunt enim in loco Horatiano nonnulla ab Ottone et Wielando aut plane non animadversa aut minus respecta, quae Commentatoribus istis fidem faciant tantam, quantam in re tam tenui atque obscura exspectare licet. Illi Duumviri gravissimum sententiae suae argumentum positum esse arbitrantur in vv. „*sutor erat*,“ et, quod satis mirari nequeas, non vident, tempus a Poeta illis verbis designari, quo ille sutrinam nondum reliquerat nec clauserat tabernam. Sicut Horatius Stoicum loquentem facit de Hermogene tamquam vivo, ita commemorantem eum inducit Alfenum non ut vita, sed sutrina perfunctum. Vitae autem genus et studia, quae Alfenus cum maxime sequatur, indicantur v. *vafer*, ad cujus vim et singularem in hoc orationis contextu virtutem nequaquam satis attenderunt Viri Docti. Est enim *vafer*, ut acute vidit G. J. Vossius, quasi *varifer*, qui varia affert, multa extricat, qui intelligens est et rei peritus. Sic Cicero de N. D. Libr. I. c. 15. dicit *somniorum vaferrimum interpretem*. Idem de Rep. Libr. III. c. 16. „*non sunt in disputando vafri, non veteratores,*

24) Wielandus de more impugnat Scholiastarum fidem oratorie magis, quam docte et subtiliter, et de disputatione Ottonis, quocum facit, ita judicat: „*Eben da ich dieses geschrieben habe, sehe ich, dass der berühmte Utrechtische Antecessor, Everard Otto — — so gute Gründe beigebracht hat, die ehrsame Schuster-Innung aus dem ungerechten Besitz der Ehre, die ihnen durch diesen fast allgemeinen Irrthum der Gelehrten zugewachsen, herauszuwerfen, dass es überflüssig wäre, noch ein Wort darüber zu verlieren.*“

non malitiosi." Recte observat Doederlinius Synonym. et Etym. P. III. p. 218., usurpatum illud esse sensu deteriore, ut n. *gescheidt, pfiffig.* Sic Valer. Maximus Libr. VII. c. 3. in. „*Est aliud factorum dictorumque genus a sapientia proximo deflexu ad vafritiae nomen progressum: quod nisi fallacia vires assumserit, fidem propositi non invenit, laudemque occulto magis tramite quam aperta via petit.*" Quo significatu Persius Sat. I. v. 116. „*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico Tangit et admissus circum praecordia ludit Callidus excusso populum suspendere naso.*" Opponitur *simplex*, ut apud Ovidium Heroid. XVI. v. 314. *Utere non vafri simplicitate viri.* Quibus omnibus comprobantur ea quae scribit Doederlinius l. c. p. 220. „*Die* astutia *und die* vafrities *sind natürliche Anlagen, wie die* solertia; *und zwar ist die* astutia *eine Ausartung des Scharfsinnes, die sich zum* acumen *wie die Pfiffigkeit zur Feinheit verhält; die* vafrities *aber eine Ausartung des vielseitigen Blikkes, z. B. bei einem Sophisten und Rabulisten.*" Illud enim vocabulum videtur speciatim de Jurisconsultis dictum esse. Sic apud Ovidium Heroid. XX. v. 30. „*Consultoque fui juris Amore vafer;* ubi Ruhnkenius v. *juris* cum v. *vafer* potius quam cum v. *consulto* conjungendum esse recte monuit. Quid, quod ipsum jus *vafrum* appellatur ab Horatio Libr. II. Sat. 2. v. 131.

Illum aut nequities aut vafri inscitia juris,
Postremum expellet certe vivacior heres:

quem locum jam contulit Heindorfius admonuitque, illud vocabulum de Alfeno cum acumine quodam usurpatum esse pro prudente, i. e. *κατ' ἐξοχὴν* Jurisconsulto. Qua de caussa mihi certissimum est, Alfenum ab Horatio appellatum esse *vafrum*, non quo, ut alii autumant, animi vitium notaret, sed ut artem significaret ac disciplinam, quam ille, omissa sutrina, tum profiteretur. Atque adjectum illud nomen paene nos cogit, ut de Jurisconsulto aliquo cogitemus. Jam vero temporis ratio minime obstat quo minus P. Alfenum Varum Ictum intelligamus, cum, qui demum anno U. C. 755. Consulatui admotus est, necessario vir admodum juvenis fuerit a. U. C. $7\frac{13}{18}$., quo haec Satira tertia composita est. Servius Sulpicius, cujus sub auspiciis ille Romae juri discundo et usui Fori percipiendo operam dederat, vita excesserat in legatione ad M. Antonium a. U. C. 711., teste Cicerone Philipp. IX. c. 7. Igitur Alfenus, recens ex illius disciplina, eo, quo Horatius scripsit, tempore vix aliqua ingenii doctrinaeque laude, nedum scriptis et gratia apud Augustum innotuerat, et permira tantum et notabili artis sutrinae cum juris studio permutatione sine dubio omnium animos oculosque in se converterat. Proinde Horatius, quem non est quod ab Alfeno lacessitum esse suspicemur, idoneum eum invenit, quem ab Stoico isto commemoratum et velut insigne sententiae de Sapiente Stoico documentum prolatum comminisceretur. Et ut promptum erat illud exemplum, ita etiam huic scenae inprimis aptum, cum Alfenus, ut Jurisconsultus, Stoicae potissimum philosophiae sectator esset studiosissimus. [25]) Caeterum hic Horatii jocus haud ita acerbus erat ac minime repetendus ex odio quodam in Jurisconsultos.

---

25) De studiis Jurisconsultorum Romanorum philosophicis vide supra N. 17. et Dion. Gothofredum,

Jam ex his quae disputavimus, planum esse videtur, Scholiastarum adnotationem quamvis fortasse laceram et decurtatam, nihil continere, quod per se improbabile sit, et a sententia consilioque Poetae Venusini in P. Alfeni Vari Icti mentione abhorreat, et temporibus rebusque adversetur. Quapropter in tanta testium paucitate praestiterit stare illorum testimonio et auctoritate, quam aliunde Alfenum aliquem anquirere et ignobiliorem illo et scenae ac consilio Poetae ineptiorem. Sic evidens est mihi ac certum, falli Torrentium, qui Alfenum Horatianum esse putat *Varum* Catulli Carm. X., quem *vafrum* appellari existimat, quod perfidus in amicitia fuerit, teste Catullo Carm. XXX. Heynius in Excurs. II. ad Virgilii Eclog. VI. v. 6., rationibus suae sententiae non adjectis, negat, P. Alfenum Varum, Ictum nobilem, apud Horatium intelligi posse. Et Jahnius huc refert *Alfenum Varum*, istum Caesaris Octaviani in Gallia legatum, quem a. U. C. 714. agris dividundis praefuisse legimus apud Servium ad Virgilii Eclog. VI. v. 9. IX. v. 10. et 29. et apud Donatum in Vit. Virgilii VIII. §. 30.

§. 6.

Qui hactenus a nobis copiosa subtilique interpretatione tractati sunt loci Horatiani, eis satis demonstrasse mihi videor, quam temere Poeta Venusinus in crimen animi Ictis infesti vocatus sit. Verum enim vero sunt etiam in ejus carminibus loci, in quibus manifesta reperiatur observantiae, studii amorisque erga Ictos significatio. Qui quidem loci tanto minus hic praetermittendi sunt, quanto plures Viri Docti etiam in horum interpretatione a vero aberrarunt in eisque nescio quid petulantiae ac cavillationis deprehenderunt.

Jam quanti Horatius Jurisconsultos fecerit, qui ingenio, doctrina ac moribus conspicui essent, primum docet locus in Epistola ad Pisones v. 366. sqq.

O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi — consultus juris et actor
Caussarum mediocris abest virtute diserti
Messalae nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est; — mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnae.

Aulus Cascellius, uti ejus nomen scribendum esse docuerunt Fea ad h. l. et Spaldingius ad Quintiliani J. Or. Libr. VI. c. 3. §. 87., erat clarissimus Jurisconsultus, homo dicax et facetus, ut discimus ex Macrobii Sat. Libr. II. c. 6., et clarus *Benedictorum* libro, cujus mentio facta est supra §. 2. p. 11. Distinguendus est ab eo, qui a Cicerone pro Balbo c. 20. et Valer. Max. Libr. VIII. c. 12. N. 1. memoratur, quem a. U. C. 733. Quaestorem fuisse docuit Pighius Annal. Tom. III. p. 77. Is perperam

qui *P. Alfenum Varum* contendit Epicureum fuisse, perite refutat Bachius in *Histor. Jurispr. Rom. Libr.* II. *Cap.* 2. §. 47. p. 263. sq.

vel ab ipso Ernestio in Ind. Histor. Cicer. habetur pro Cascellio Horatiano, quem illo juniorem fuisse et aetate tantum supparem, colligi licet ex Valer. Max. Libr. VI. c. 2. N. 12. „*Aulus Cascellius, vir juris civilis scientia clarus, quam periculose contumax! Nullius enim aut gratia aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret: hoc animi judicio victoriae eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem cum multa de temporibus Caesaris liberius loqueretur amicique, ne id faceret, monerent:* duas res, quae hominibus amarissimae viderentur, magnam sibi licentiam praebere *respondit*, senectutem et orbitatem.“ Quo in loco cum *tempora Caesaris* de iis accipienda sint, quibus Octavianus, devicto M. Antonio, rerum potitus solus imperio Romano praeesset; dubitari nequit quin A. Cascellius quamvis senex anno U. C. 731., quo verisimile est Epistolam ad Pisones ab Horatio compositam esse, adhuc vixerit et doctrinae laude floruerit. Ille Poetae Venusino multis annis juniori si non familiariter conjunctus, certe de facie notus fuerit, necesse est. Jam sicut M. Valerium Messalam Corvinum, ut maximum illius aetatis oratorem et gravissimarum caussarum actorem laudat, 26) ita Aulum Cascellium tamquam Jurisconsultorum principem commemorat ejusque juris civilis scientiam breviter quidem, at eximie effert.

---

26) Ejusdem *M. Valerii Messalae Corvini,* tamquam eloquentissimi caussarum actoris, mentionem injicit Horatius Libr. I. Sat. 10., ubi cum stolido quodam Lucilianarum Satirarum lectore disputans, admirante Lucilium, quod Graeca verba Latinis miscuerit, et dicente, sermonem lingua utraque concinnatum aeque suavem esse ac vinum Falernum Chio mixtum, cum vehementia quadam respondet v. 25.

Cum versus facias? Te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli,
Scilicet oblitus patriaeque patrisque, Latine
Cum Pedius caussas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?

Ita hunc locum legendum esse censeo secutus Feam et Jahnium, interductu leviter mutato, ejusque vim et sententiam bene explanavit Manso in Scriptt. Miscell. p. 295 sq. Poeta a minori ad majus argumentatus, Quomodo, inquit, in versibus probare potes, quod dudum ab optimis quibusque oratoribus rejectum est in eloquentia forensi? Nam Cicero verborum Graecorum usum numquam nisi in epistolis familiaribus sibi indulsit, monens ea de re in Quaest. Tusc. Libr. I. c. 8. §. 15. „*Dicam, si potero, Latine. Scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere, quam in Graeco Latine.*“ Ad industriam illorum oratorum in caussis agendis denotandam scripsit: *caussas exsudare*, ut *exsudare laborem* ap. Livium Libr. V. c. 5. et Silium Ital. Libr. III. v. 531. Et *caussas Latine exsudare* erit Latinis verbis caussas agere multas ac graves. Friget lectio *patrisque Latini*, sive cogitas de rege sive de patre stirpis Romanae, pro quo exspectes potius *Quirini* nomen, ut v. 32. Qui *oblitos* legunt et ad Pedium et Corvinum referunt, duritiem toti loco obtrudunt vix ferendam. Verborum ordo est: *an et malis*, *scilicet oblitus* etc. De *Pedio Poplicola*, caussarum actore aliunde nobis non cognito, assentior Jahnio ad h. l. Ejus nomen pro quovis caussarum actore bono usurpatum est a Persio Sat. I. v. 85. Et apte hac in caussa commemoratur *Messala*, utpote qui, teste Seneca Controv. Libr. II. 12. p. 171. Bip., exactissimi ingenii fuit in omnes studiorum partes, *Latini utique sermonis observator diligentissimus* et, ut Auct. Dial. d. Oratt. c. 18. ait, *Cicerone mitior et urbanior et dulcior et in verbis magis elaboratus.*

Nam qui in hoc etiam loco malignioris animi judiciique de Ictis indicia inveniunt, eos magnopere metuo ne opinione falsos, quid spectaverit Poeta, prorsus lateat. Esse enim ait artes quasdam et disciplinas, in quibus mediocritas concedatur ac feratur. Ex illis memorat eloquentiam forensem et jurisprudentiam, in quibus aliquis in pretio esse possit, licet sit mediocris neque eloquentia Messalam neque juris civilis scientia Cascellium aequet. Ejusmodi enim homo in aliquo numero ac honore est propter praesentis usus necessitatem. At in poetis mediocritas toleratur nulla, ut in omnibus artibus, in quibus animi libera quaedam oblectatio quaeritur, teste etiam Cicerone de Orat. Libr. I. c. 26. et III. c. 51., cujus sententiae vim et veritatem copiose diserteque explicavit Wyttenbachius in Epistola ad Hier. de Boschium praefixa *Biblioth. Crit. Vol.* III. *P.* 3. *p.* IX. sqq. Quicumque autem Poetae Jurisprudentiam cum Poesi contendentis consilium ex vero aestimaverit, illa verba non ita interpretabitur, ut eum de Cascellio, qui illam summa cum laude profiteretur, invidiose judicasse dicat. Ea mente si haec scripta fuissent ab Horatio, difficile esset ad intelligendum, quo pacto potuisset cum Cascellio componere Messalam, quem inter patronos suos ambitiose collaudat Libri I. Sat. 10. v. 85. Atque Horatius si innato quodam ductus odio id egisset, ut, quoties posset, Jurisconsultos petulanti splene irrideret, potuisset Cascellium eodem, quo Galbam et Fabium, commenticios istos Ictos, modo ludibrio habere. Ille enim cum, teste Quintiliano J. Or. Libr. VI. c. 3. §. 87., interrogatus esset, quid sentiret de eo, qui in adulterio deprehensus esset, „*Tardum esse*" responderat. Aut si venali quadam Ictorum insectatione in Caesaris Octaviani gratiam se insinuare voluisset, debebat neminem magis et acrius quam Cascellium impugnare, quem legimus valde contumacem fuisse nec ulla gratia aut auctoritate potuisse compelli, ut formulam componeret de aliqua earum rerum, quas Triumviri sociis suis amicisque dono dederant. At haec ejus in Epistola ad Pisones mentio tam aliena est ab omni invidia ac malignitate, ut manifesta insit tacitae admirationis et benevolentiae testificatio.

At vero disertior etiam graviorque ejus rei, qua de hic agitur, testis est Satira prima Libri II., in qua Horatius sermonem refert habitum cum *C. Trebatio Testa*, magnae auctoritatis Jurisconsulto, quem in jure civili familiam ducere ait Cicero ad Divers. Libr. VII. Epist. 5. Poeta enim maligniora expertus judicia de Satiris suis, perlepide narrat, se dubium, pergeretne scribere Satiras, consuluisse illum Ictum his verbis v. 4.

Trebati,
Quid faciam, praescribe. Tr. *Quiescas.* Hor. *Ne faciam, inquis,*
Omnino versus? Tr. *Ajo.* Hor. *Peream male, si non*
Optimum erat; verum nequeo dormire. Tr. *Ter uncti*
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.

Quo in loco ut omittam cetera quae sunt leporis et facetiarum plenissima, perpulchre exprimit Poeta personam Jurisconsulti pronuntiantis ac velut sollemni verborum formula edicentis ea, quibus somnus paratus facilisque venire soleat. Tametsi, quae praecipit Horatio Trebatius, nihil habent quod per se

alienum sit a more Romano, de quo vide Beierum ad Cicer. de Offic. Libr. I. c. 29. Tom. I. p. 227. sq. et Heynium ad Tibulli Libr. II. Eleg. 1. v. 29.; tamen totus locus insigniorem habet festivitatis accessionem, si memineris, Trebatium illum et natandi studiosissimum fuisse et nonnumquam bene potum seroque domum rediisse, ut compertum habemus ex Ciceronis ad Divers. Libr. VII. Ep. 10. „*Sed tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus: qui neque in Oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi, neque spectare essedarios* etc." et Ep. 22. „*Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram, controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere. Itaque, etsi domum bene potus seroque redieram, tamen id caput, ubi haec controversia est, notavi* etc." 27) At graviter eo nomine conqueritur Everardus Otto Cap. II. §. 4. de impudenti petulantia Horatii, utqui ausus sit insultare Jurisconsultum eruditione et dignitate amplissimum. Sed in promptu sunt, quibus Poetae caussam tueri possimus. Primum enim si rem ex vero et aequo dijudicaveris, senties potuisse sine omni Trebatii offensione commemorari natandi studium. Neque etiam Horatius, quamvis altero, quod Trebatio suggerit, consilio tecte significans, combibonem eum fuisse facilem et jocularem, dicendus est aut convicio ejus aures, aut turpitudine aliqua vitam violasse et reverentiae erga virum tum aetate tum dignitate se superiorem oblitus esse. Minime illum vinolentiae insimulat ac nepotatus, et valde vereor, ne ea in re Ottonem nostra sentiendi agendique ratio deceperit. Deinde Horatius jocatur cum homine, quem procul dubio ipse ob ingenii animique virtutes plurimi faceret. Cicero enim Julio Caesari, Galliarum Proconsuli, scribens ad Divers. Libr. VII. Ep. 5. negat se posse ei quemquam commendare meliorem Trebatio, probiorem prudentioremque. Porro Horatium cum Trebatio conjunctissime vixisse, testatur haec ipsa Satira, ut recte jam observavit Heindorfius in Argum. p. 231. sq. Cui quidem familiaritati neutiquam obstat aetatis diversa ratio. Quamquam non constat, Trebatius quo anno natus sit, tamen certum est eum multis annis juniorem fuisse Cicerone. Ab hoc in Epistola septima ad Divers. Libri VII., quae scripta est a. U. C. 700., dicitur aetate esse opportunissima. Anno U. C. 707. fuit Tribunus plebis, teste Pighio Annal. Tom. III. p. 451. Cum autem Satira, de qua agimus, ob v. 14. scripta esse videatur anno U. C. 727., quo Horatius annum aetatis egit trigesimum octavum, periculum non est, ne magnopere fallamur, si Trebatium tum temporis sexagenarium fuisse statuimus. Hinc Horatius v. 12. illum *patrem optimum* appellat, et Trebatius v. 50. consulentem Poetam *puerum* i. e. filium: quae quidem, etiamsi sermo ipse confictus sit, summam utriusque necessitudinem testatam faciunt. Denique quidquid ejus rei est, illud non dubito contendere, tantum abfuisse, ut Trebatius, lecta illa Satira, Poetae Venusino subirasceretur, ut contra subridens ob leves istos dictorum aculeos in sinu gauderet. Fuit enim, si quis alius, homo comis et in dictis factisque sales, lepores et jocularia consectans, uti cum ex omnibus, quas Cicero ad eum dedit, epistolis ad Divers. Libr. VII. 6 — 22., tum maxime ex septima itemque decima planum fit atque evidens. Quae cum ita sint, nihil equidem hoc in loco aliud video, quam celebratam illam Poetae Venusini urbanitatem, qua, ut Persius ait, vafer ridentium amicorum vitia tangere solet et admissus circum praecordia eorum ludere, et longissime absum ab stultitia aequalium ejus meticulose conquerentium et, ut ipse Libr. I. Sat. 4. v. 34. refert, dictitantium:

Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque
Et pueros et anus.

27) Acumen hujus loci Horatiani primus, quod sciam, perspexit et allatis Ciceronis locis illustravit Rutgersius Venus. Lect. Cap. XXI. p. 361 sq., qui ad mores Trebatii pernoscendos accommodate etiam excitat ex Ciceronis Epist. 20. „*Ego a Sex. Fadio, Niconis discipulo, librum abstuli Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam. Sed Bassus noster me de hoc libro celavit: te quidem non videtur.*"

Jahresbericht
über
die Königl. Landesschule zu Grimma.

Vorwort.

Durch die Verordnung des Königl. hohen Ministerium des Cultus und des öffentlichen Unterrichts vom 12. Januar d. J., nach welcher forthin dem jedesmaligen Schulfestprogramm an beiden Landesschulen ein Jahresbericht in Deutscher Sprache beigefügt werden soll, ist eine sehr zeitgemäſse Einrichtung getroffen worden. Es lag in der bisherigen Verfassung des Landes, daſs die Vorsteher dieser Schulen der hohen Behörde allein, unter deren Obhut und Leitung sie standen, von dem, was in diesen Anstalten geschah und geleistet wurde, Rechenschaft gaben, und rücksichtlich des theilnehmenden Publicum's muſsten sie und die übrigen Lehrer bei ihrem stillen Wirken sich an den Ausspruch des Erlösers halten: „an ihren Früchten sollt ihr sie erkennen.“ Allein bei dem Neubau des allgemeinen Staatslebens in Sachsen muſste natürlich auch der Vorhang weggenommen werden, welcher bisher dem Auge des Publicum's das innere Treiben und Thun dieser Schulen verbarg. Und in Wahrheit, wenn irgend eine Anstalt verbunden ist, öffentlich von ihren Einrichtungen und Leistungen Kunde zu geben, so sind es gewiſs diejenigen, die nicht einer einzelnen Commun angehören, sondern vorzugsweise den Namen einer Landesschule führen, weil sie Knaben aus allen Kreisen des Vaterlandes in ihren mütterlichen Schoos aufnehmen, und aus öffentlichen Fonds die Befriedigung ihrer Bedürfnisse erhalten.

Der nachstehende Jahresbericht über die Landesschule zu Grimma bringt einfach und treu zu allgemeiner Kenntniſs, was im Verlaufe des Schuljahres 18$\frac{37}{38}$. von der hohen Behörde und den Lehrern zu Erreichung des einer Unterrichts- und Erziehungsanstalt für künftige Gelehrte vorgesteckten Zieles geschehen ist. Vielleicht trägt derselbe dazu bei, manche seltsame, mehr der Vergangenheit als Gegenwart entnommene Vorstellung zu entfernen und falsche Urtheile über diese Lehranstalt zu berichtigen. Das alte Kloster St. Augustin hat sich seit 1820., wie im Aeuſsern, so im Innern ganz umgestaltet, und Niemand, der die Anstalt vorurtheilsfrei besucht und sich mit den Verhältnissen und Personen näher bekannt macht, wird von hier das Bild eines trüben, freudenlosen Klosterlebens mit hinwegnehmen und in der Behandlung der Zöglinge die von der gegenwärtigen Zeit geforderte Liberalität vermissen. Allerdings hat die Disciplin an Anstalten, wo Knaben und Jünglinge von den verschiedensten Anlagen, Trieben und Gewohnheiten eine geschlossene Gesellschaft bilden, und entfernt von Aeltern und Verwandten erzogen werden sollen, gewisse Eigenthümlichkeiten, die wohl Manchem befremdlich vorkommen mögen. Sie sind aber mit dem Ganzen eng verwachsen, und das strenge Festhalten an denselben ist zum fröhlichen Gedeihen dieser Anstalten so nöthig, daſs ein Aufheben jener sehr bald die Auflösung des ganzen Schulorganismus herbeiführen würde.

Auch das Verhältnifs der Schüler unter sich hat eine andere und bessere Gestalt gewonnen. Die alte Unsitte, dafs die Unteren den Oberen dienstbar seyn mufsten, ist durch das Gesetz hart verpönt, und durch die Anstellung von Aufwärtern der früheren Veranlassungen und Gelegenheiten beraubt worden. Diejenigen Knaben und Jünglinge, welche aus der häuslichen Erziehung einen milden, brüderlichen Sinn mitbringen, finden in dem Unterrichte und dem Beispiele der Lehrer Aufforderung genug, ihn zu bewahren und zu stärken, um als Obere mit ihren Unteren in dem edlen Verhältnisse eines ältern Bruders und leitenden Freundes zu leben. Und unbedenklich wagen wir diefs als den Grundton in dem klösterlichen Zusammenleben hiesiger Alumnen zu bezeichnen. Wenn dennoch in diesem so schönen und für Geist und Herz so bildungsreichen Verhältnisse zuweilen Mifstöne vernommen werden, so sey man billig und bedenke, dafs in den Landesschulen Söhne aus hohen und niederen Ständen, die eine ganz verschiedene Erziehung genossen haben, Tag und Nacht vereint sind, und dafs nur Allwissenheit und Allgegenwart der Lehrer Ausbrüche von Unarten und Roheiten, die aus der Heimath mitgebracht sind, gänzlich verhüten könnte. Dafs übrigens einer bestimmten Anzahl der obersten Schüler eine Unteraufsicht mit gesetzlich geregelter Strafbefugnifs gegeben werde, ist ebenfalls in der eigenthümlichen Verfassung der Landesschulen tief begründet. Man nenne es, wenn man will, ein nothwendiges Uebel dieser Anstalten, dem aber, wie die Erfahrung gelehrt hat, durch *die* Einrichtung nicht abgeholfen worden ist, die man, zu Anfange dieses Jahrhunderts, als ein fremdartiges, aus den Gärten des Philanthropinismus genommenes Reis den Landesschulen aufzupfropfen unternahm, aber keine gedeihlichen Früchte davon gewann, so dafs man allmählich zu dem bewährten Alten zurückgegangen ist.

In Hinsicht der Doctrin sey es erlaubt zu bemerken, dafs, wie der Bericht über die Lectionen darthun wird, der hiesigen Landesschule der Vorwurf wohl nicht gemacht werden kann, sie sey mit der Zeit nicht fortgegangen und den von der Gegenwart an eine Gelehrtenschule gemachten Anforderungen verschlossen geblieben. Indefs Vorsteher und Lehrer halten die Ueberzeugung fest, dafs das Studium der alten Sprachen dem jugendlichen Geiste Idealien von dem realsten Gehalte gewähre, und dafs das Treffliche, was uns das Alterthum hinterlassen hat, am geeignetsten sey, die in unsern Tagen zu einem höhern Selbstgefühl erwachten Gemüther der studierenden Jünglinge über die Gemeinheiten des Lebens zu erheben und zu tüchtigen Bürgern eines constitutionellen Staates zu bilden. Und möchte bei allen, die diese Ueberzeugung mit uns nicht theilen, das was *Jean Paul* in der *Levana* §. 149. sagt, die verdiente Beherzigung finden: „Die jetzige Menschheit versänke unergründlich, wenn nicht die Jugend vorher durch den stillen Tempel der grofsen alten Zeiten und Menschen den Durchgang zum Jahrmarkt des spätern Lebens nähme!" —

I. Chronik der Landesschule.

Am 14. September v. J. wurde der Stiftungstag der Landesschule in herkömmlicher Weise gefeiert, wozu der Unterzeichnete durch die Commentatio I. de Cassio Parmensi Poeta. eingeladen hatte. Bei der kirchlichen Feier sprach der Religionslehrer, Prof. *M. Fritsche*, über I. Corinth. 12, 4—11.: welche Predigt nachher in Druck gegeben und im Verlag von J. M. Gebhardt zu Grimma 1832. 8. erschienen ist. Bei dem Actus traten 6 Zöglinge der Anstalt als Redner auf, von denen

